Carolus Lumſden 13 Februarl 1607.

DE
BONIS ET
MALIS GERMA-
NIAE,

ADMONITIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IOHAN. VVIGAND.

EXCVDEBAT PETRVS BRV-
bachius, Anno M. D. LXVI:
menſe Ianuario.

CLARISSIMIS E
NATISSIMIS VIR
TATE, DOCTRINA, VIRT
dentia, excellentibus, D. PET.
D: SIMONI SCHARDIO, LL.
bus, Dominis & amici
colendis.

C. & P. per CHRIST

EXiſtímau
num eſſe
ſona, uíri p
ctrina, &
tum gene
mi, atq; a
dí, hanc c
ctíonem de Bonís & Mal
Dei, in Germanía ſub uexíll
noſtri Ieſu Chriſtí militanti
uís tenui & arido orationis
medíũ proponere. Cùm er
ſim iſtius ſacræ reipublícæ,
ſto confrater & commemb
me dilectíonem erga eos, q
ta propinquitate & coniun

A

CLARISSIMIS ET ORNATISSIMIS VIRIS, PIETATE, DOCTRINA, VIRTVTE, PRUdentia, excellentibus, D. PETRO PREM, & D. SIMONI SCHARDIO, LL. Doctoribus, Dominis & amicis ſuis colendis.

S. & P. per CHRISTVM.

EXiſtimaui non alienum eſſe à mea perſona, uiri pietate, doctrina, & omni uirtutum genere ornatiſsimi, atq; amici colendi, hanc commonefactionem de Bonis & Malis Eccleſiæ Dei, in Germania ſub uexillo Domini noſtri Ieſu Chriſti militantis, quãtumuis tenui & arido orationis genere, in mediũ proponere. Cùm enim cõciuis ſim iſtius ſacræ reipublicæ, & in Chriſto confrater & commembrum, decet me dilectionem erga eos, quibus tanta propinquitate & coniunctione de-

uinctus ſum, quanta quidem à me præſtari poteſt, exhibere. Opus autem charitatis arbitror uel præcipuum eſſe, admonere apertè, & minimè fucatis uerbis, de cognitione ſummorum beneficiorum, quibus nos affatim obruit Deus, præſertim uerò in rebus ſpiritualibus. Nam ex iſto fonte ſcaturit lętitia ſancta, gratiarum actio ardẽtior, & cura atq; ſollicitudo in eiuſmodi precioſis rebus, fidelius & fortius conſeruandis. Deinde uerò malorum, quibus premimur, conſideratio, ad pœnitentiam uerã animos extimulat, & ad auertenda iſta mala ingruentia, per correctionem uitæ & ſeriam Dei inuocationẽ, inuitat. Præterea, cùm unus ſim uel minimus inter ſeruos Dei, qui uerbum ipſius precioſum ſonare debent, nemo ut opinor, in timore Domini iudicãs, mihi uitio uertet, quòd hanc totam admonitionem ad eum finem dirigo, ut agnitis atq; abiectis malis Eccleſiaſticis & politicis, omnes ſimul præſtantiſsimum

tiſsimum theſaurum uerbi diuini, incorruptum conſeruare,& ad poſteritatem propagare ſtudeamus.

Etſi autem rerum tantarum grauitas, aliquem eximium Oratorem poſcebat, qui pondere & ornatu uerborum, animos legentium afficere,& ſingulari cum potẽtia trahere & commouere potuiſſet, tamen hæc uox me ſolatur, Ex ore infantium quoque, Deum perficere laudem ſuam. Licet igitur uerborum ſplendor à me afferri non poſsit, qualem quidem delicatæ aures flagitant, attamen fundamenta rerum longè grauiſsimarum,& maximè neceſſariarum, ſcio me dilucidè, ſimpliciter & apertè monſtrare atq; annotare. Cõfido enim omnes ſano cerebro prędítos,& non prorſus in reprobum ſenſum traditos, ultrò cogníturos & confeſſuros, nequaquàm de friuolis, ineptis aut ludicris rebus, me hanc monitionem inſtituiſſe. Imò non dubito, eos cum comico dicturos, Neq; nihil, neq;

omnia hæc ſunt, quæ dicit tamen. Video enim & ipſe plura, neq; difficile fuiſſet adhuc aliquot capita rerum ſubijcere, uerùm certo conſilio eas mihimet ipſi in præſentia metas conſtitui, nec prohibeo, quin alius ſuo indulgens genio, libero ac ſpacioſo campo longius procedat.

Quòd uerò nominibus hominum peperci, eò feci, ut quilibet iſta legens, in ſemetipſum inquirat, quanã in parte reus, & quid ſibi ex uoluntate Dei corrigendum ſit. Nam innocentes, ſeſe recta conſcientia ſuſtentare poſſunt. Nocentes uerò, ſua agnoſcant, deplorent, & emendent uitia, ac monitiones ſibi neceſſarias & ſalutares eſſe credant.

Præterea nequaquàm Donatiſta ſum, ut fortè aliqui maledici & peruerſi homines criminari poſſent, qui Eccleſiam Dei tantummodo intra fines Germaniæ, ubi pura Euangelij doctrina diſcitur & traditur, contineri

ſomniem,

ſomniem , ſed quia Germanus ſum, & in Germania hoc potiſsimum ſeculo Verbum DEI miranda bonitate illuxit, ipſam Germaniam in præſentia inprimis commonefaciendam putaui. Neq; ignoro, Dominum Deum, etiam extra Germaniæ fines, ſalutari & uiuifico uerbo ſuo, Eccleſiam ſibi colligere & ſanctificare. Et nos in Germania uiuentes, cum omnibus membris ueræ & ſynceræ Eccleſiæ, in alijs regionibus totius orbis terrarum exiſtentibus, fide & confeſsione concordamus, imò in æterna quoque uita cum ipſis dulciſsima conſuetudine apud IESVM CHRISTVM, communem noſtrum Saluatorem, fruemur.

Vobis autem, clariſsimi uiri, hoc qualecunq; ſcriptum publicè nuncupare uiſum eſt, quia ſeriam ueſtram pietatem, conſtantiam & grauitatem in Eccleſiaſticis atq; politicis rebus, multis euidẽtiſsimis teſtimoñijs perſpexi, quę,

niſi uererer me offenſionem apud uos incurſurum eſſe, hoc in loco non/nihil prædicarem. Sed non eſt lumen ueſtrum abſconditum.

Deinde cùm longioribus paulò interuallis locorum nos Deus, pro ſuo beneplacito, diſiunxerit, uolui pro noſtra amicitia, hoc ſcripto meam qualemcunque erga uos reuerentiam declarare, & μνημόσυνον noſtræ con/iunctionis in Domino mittere.

Rogo igitur peramanter, ut Theologi, ueſtrique amici, chartaceum munuſculum, tantùm beneuolentiæ cauſa miſſum, non aſpernemini, & Eccleſiæ Dei ædificationem, ut facitis, ſtrenuè adiuuetis. Erit enim aliquando tēpus, quando labores pro uerbo Dei ſyncerè cuſtodiēdo, & ad poſteritatem tranſmittendo, ſuæ ſequētur laudes & præmia. Dominus DEVS Pater Domini noſtri IESV Chriſti, uos in uera pietate cōſeruet, atq; omnis generis benedictiōibus ornet & augeat. Amē.

V. P.

A: Iohannes Vuigandus D.

DE BENE-ficijs diuinis germanię potiſsimū oblatis,

Ab anno 1517. hucuſq;:

AETERNAE *uitæ beatitudo, non erit ignauum ocium, aut muta quædam hominum cōuerſatio, ſine omni dubitatione: Sed recolent glorificati homines uiuaciſſima memoria, omnia illa beneficia, quæ in hac mortali uita, & poſtea in reſurrectione, à* Deo *ex immenſa miſericordia acceperunt, eaq; grata mente, hilari pectore, ſolerti & prōptiſſima lingua celebrabunt, perpetuiſq; laudibus euehent, ac* Deo Pa*tri* Filio *& Spiritui ſancto, æternam ſeſe reuerentiam & obedientiam propter ea debere, uerbis, geſtibus, factiſq; omnibus declarabunt, cuius quidem*

rei aliquot typi in Apocalypſi Iohannis nobis pro=poſiti ſunt.

Sed cùm in Chriſtum credentes, in hac etiam uita regno cœlorum inſerantur, donentur iuſticia imputatiua, quam Chriſtus ſuo precioſiſsimo ſanguine acquiſiuit, atque inchoent per ſpiritum ſanctum cœleſtem illam uitam, ideo quod in altera uita plenius quidem & perfectius agemus, decet nos hîc quoque incipere, nempe beneficiorum Dei *cognitionem, conſiderationem & celebrationem, qua quidem in parte nobis, præ alijs* Prophetis, *egregiè præit* Dauid *ἔξαρχος, inquiens:* Benedic *anima mea* Domino, *& omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius,* Benedic *anima mea* Domino, *& noli obliuiſci omnium beneficiorum eius.* Et *aliâs non tantùm omnes homines, uerum etiam creaturas animatas atque inanimatas omnes ad laudem* Dei *exuſcitat.*

Et*ſi autem innumera ſunt* Dei *dona, quibus priuatim & publicè quotidie obruimur, neque mens humana ea omnia capere atque intelligere poteſt, in hac tanta caligine & deprauatione naturæ, tamen aliqua ſunt, illuſtrante Spiritu ſancto, expendenda, & quantumuis tremula lingua extollenda, ut autorem* Deum, *quantum omnino à nobis fieri poteſt, magnificè efferamus & honoremus.*

Breui igitur narratione commemorare in præſentia, Deo opitulante, inſtitui, Beneficia quædam Dei ampliſſima, quæ ex ingenti bonitate & clementia, tempore illuſtrati Euangelij*, ab* Anno 1517. *uel circiter, huc uſque,* Germaniæ *noſtræ potiſſimum exhibuit atque præſtitit.* Hoc *quaſi ſcopo orationis meæ, quantumuis ex longinquo uobis commonſtrato, non dubito, uos ueſtra ſponte iudicare, materiam hanc pia conſideratione digniſſimam eſſe, iamqúe ueſtris cogitationibus iucundiſſimis de plurimis* DEI *donis, meam recitationem antecurrere.*

Equidem *ſcio, non opus eſſe ſollicitè excogitatis rationibus, quibus doceam, tertio nos præcepto* Decalogi *teneri, ut iſta* Dei *munera, ſubinde memoria repetamus, & gratis uerbis prædicemus: item eam commemorationem alere fidem, extimulare inuocationem, corroborare animum aduerſus multa pericula præſentia & ingruitura. Intelligo etiam nihil laboris mihi ſumendum eſſe, ut ueſtros animos, ad eiuſmodi res cum fauore & delectatione audiendas, extimulem, mihiq́; conciliem: Sed potius initiò ueniam mihi precandam eſſe ſtatuo à* Deo *& uobis, ſi nön eo quo debebam pondere & ornatu uerborum de tantis rebus dixero.* Verùm *hoc* Bernhardi *ſequamur,* Etiam *balbutienti*

butienti ore excelſa Domini *reſonemus, ac ſit nobis ſolatio hoc ſuaue dictum ſpiritus ſancti,* Ex ore *infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam.*

Cùm autem rerum maximarum copia, in hoc argumento me grauet, quæ in tam anguſto temporis ſpacio, quod huic narrationi tribuendum eſt, uix extremis quaſi labijs attingi, nedum euolui atq; explicari queunt, ideo præcipua tantùm Dei *beneficia in medium producemus, quam ad rem iſtum ordinem uobis non ingratum fore ſpero, ut primum de* Eccleſiaſticis *beneficijs* Dei, *deinde de* Politicis, *tertio de* Oeconomicis, *quarto de communibus quibuſdam diſſeram.*

Eccleſiaſtica *uoco dona, quæ ad* Eccleſiæ *negocia, ad religionem, ad conuerſionem hominum, ad cultus ueros* Dei, *ad piè claudendam hanc temporaneam uitam, deniq; ad lætam ex mortuis reſurrectionem faciunt.* Inter *ea aũt iſta ſunt præcipua.*

Biblia *ſacra in clariſsimam lucem, ſummo* Dei *beneficio iterum ſunt producta, & in manus atque uſum hominum familiarem tradita. Conſtat enim,* Biblia *ſacra multis iam ſeculis, pro obſcuro libro ubiq; locorum eſſe habita, penéq; ſitu & ſqualore interijſſe: cuius quidem rei iſtæ potiſsimum erant cauſæ.* Primùm, *quia tantùm* Latina *ſanctorum librorum uerſio cõmendabatur, quæ profectò plurimas illuſtres res & ſententias, parùm concinna in-*

terpretatione

interpretatione inuoluit & obſcurat. Deinde quia tantùm ad Scholaſticorum diſputationes & Summas, in Scholis adſuefiebant, qui Theologia imbuebantur. Laici uerò à lectione Bibliorum, non aliter atq; ſues ab amaraco, arcebantur, ac publicè tantùm audiebant Legendas ſanctorum. Verè igitur, quod in Samuele dicitur, Verbum Dei erat precioſum; nimirum ob raritatem, eo tempore. Nunc uerò Biblicæ uerſiones luculentæ extant, inprimis uerò Germaniam Teutonica translatione per Lutherum ornauit Deus, ita ut omnes linguarum periti ultro fateantur, fœliciorem, clariorem, planiorem uerſionem ex Hebraico textu, apud nullam aliam gentem extare. Nam de Græca quidem & Latina interpretatione, quæ iam habentur, non difficile eſt iudicium. Aliæ uerò gentes hodie, à Germanica etiam uerſione, lucem aliquam hauſerunt.

Multorum ſcriptis memoriæ conſecratũ & tanquam diuinum beneficium magnificè prædicatum eſt, quòd Septuaginta illi uiri, hebræum textum in græcum transfudere, conſilio Ptolemæi Philadelphi regis Aegyptiaci. Vidimus autem & nos adoleſcentes, qui Vitebergæ tum ſacris literis erudiebamur, quomodo certis horis cõgrederentur in ædibus Lutheri, Melanthon, Cruciger, Forſterus, Aurogallus, Iõnas, ſuaſq; in reddendis quàm commodiſſimè ſanctæ linguæ phraſibus operas, ſingulari

ingeniorum

ingeniorum acumine, dexteritate, pietate, conſerrent, Luthero architecto operis, quid cōuenientiſſimum eſſet iudicante & ſequēte. Dictante igitur ſpiritu ſancto, Biblia germanica tam terſa, tam clara, tam lucida prodierūt, ita ut pueri ac puellæ iam Biblia legentes, proprium ac genuinum ſenſum, abſq; longis commentarijs ob oculos uideant, atq; fundamenta pietatis & omnis conſolationis addiſcant. Hæc uerè à nobis dici, res ipſa teſtatur. Nam Biblia iam plura in priuatis Laicorum ædibus habentur, quàm olim in collegijs ac Bibliothecis Eccleſiaſticorum omnium extiterunt.

Cùm igitur Biblia ſint fons & ſcaturigo ſynceræ religionis, cultuū diuinorū, imò ſalutis noſtræ perpetuæ, ideo æternas Deo pro hoc tāto munere gratias debemus. Nihil iam dicam de alijs uerſionibus, quas Germanici doctores alijs in linguis dederunt. Præclaram nauauit operam in noui Teſtamenti illuſtratione Eraſmus: inſignem etiam laborem impendit in uetus Inſtrumentum Munſterus & alij nōnulli, ſed inter haſce omnes (quod pace omnium dicere liceat) ueluti Sol in medio cœlo Germanica translatio eluceſcit, ac Hebraica idiomata planiſſimè exprimit.

Alterum beneficiū, quod Deus Germaniæ inprimis exhibuit eſt, præcipuorum articulorū fidei illuſtratio, qualis ab Apoſtolorū temporibus huc uſq;

in hoc mundo non eſt cognita. Equidem nemo inficiari poteſt, hiſtoriam eorum temporum, quæ Apoſtolis è terris ſublatis decurrerunt, conſiderans, doctores maximè in hoc incubuiſſe, ut doctrinam de uno Deo in eſſentia, & trino in perſonis, ſaluam atq; inconcuſſam aduerſus hæreticorum præſtigias conſeruarent, qua quidem in re de uniuerſa poſteritate optimè ſunt meriti, uerùm in plerisq; alijs doctrinæ Chriſtianæ articulis, remißiores, ut mollißimè dicam, fuerunt, atq; opiniones præſtantium uirorum nimis imprudenter ſecuti ſunt, ac pertinacius quàm decebat retinuerunt. Quando uerò Scholaſticæ ſpinoſitates cum Ariſtotele, in Eccleſia Dei dominatum accepere, tum unà cum neglectu Bibliorum, dēſiſſimæ tenebræ in omnibus articulis fidei ingruerunt. Si quis illas plus quàm Aegyptiacas caligines excuſare uelit, næ ille æternis tenebris dignus erit. Qualis enim de pœnitentia perplexitas & obſcuritas, quales Syrtes de bonis operibus, qualis error in precatione & ſimilibus rebus fuerit, nemini obſcurum eſt.

Effectus igitur illuſtratorum Bibliorum, erat lux in capite de uiribus humanis in rebus ſpiritualibus. Quàm.n. liquidò oſtēdit et euincit Lutherus cōtra Eraſmū, hoīes Pſychicos, ut Paulus eos uocat, niſi regenerentur à Deo, nihil prorſus annuere ſeu cooperari poſſe, imò iuxta Paulum, Senſus carnis

eſſe

eſſe inimicitias aduerſus Deum.

Diſcrimen *Legis & Euangelij prorſus erat poſt Apoſtolorum tempora obliteratum, atq; multarum confuſionum et errorum cauſam præbebat.* Verùm *per* Lutheri *miniſterium dilucidè explicatū eſt, nempè quòd* Lex *ſit aliquomodo naturæ humanæ nota,* Euangelium *uerò minimè, quòd* Lex *requirat hominum obediētiam perfectiſsimam, iuxta decem præcepta: & quia eam propter naturæ deprauationem homines perſoluere nequeant, terreat eos, iramq; Dei & pœnas denunciet,* Sed Euangelium *offerat, atq; largiatur gratis, obedientiam & meritum Chriſti fide amplectentibus, eaq; ratione pauidas & conſternatas conſcientias erigat & ſoletur.* Quòd Lex *normam agendorum,* Euangelium *uerò acta per Chriſtum adferat atq; communicet.* Hac *luce in ſacris literis præfulgente, omnia ſunt perſpicua, ac plurimi* Antinomici *furores refutari queunt.*

Q*uàm uerò profundis ac tetris tenebris caput religionis & ſalutis noſtræ, doctrina de iuſtificatione coram* Deo *ſeu remiſsione peccatorum obruta fuit?* Verè *enim id accidit, quod* Dominus *futurum prædixerat,* Pſeudoprophetas *nullam certam ſalutis uiam monſtraturos, ſed eccè hic, eccè illic* Chriſtus *eſt, clamaturos.* Nam *eò res reducta erat, ut* Eccleſiæ *miniſtri, animarumq; curatores, non dirigerent*

gerent anxias & trepidantes conſcientias ad Chriſtum per fidem,ſed aiebant,peregrinationibus uel Miſsis,uel ſolitaria uita , uel eleemoſynis,uel preculis,uel alijs rebus gratiam Dei promerendam eſſe.Hiſce atris nubibus aut turbinibus potius , corda hominum obſcurata,Solem iuſticiæ aſpicere nõ poterant, Verùm illis nunc denuo remotis ac diſsipatis,uerboLutheri atq; aliorũ fidelium συνεργῶν, iſta doctrina puriſsimè & liquidiſsimè in Eccleſia Chriſti effulſit , Remiſsionẽ peccatorũ coram Deo omnes accipere , ex mera gratuita miſericordia, propter Chriſti ſanguinem , quotquot in eum credunt.Iuſticiam hominum peccatorum non eſſe actiuam,ſeu opera,conditionem, qualitates, conatus, ſtudia,ullius hominis,ſed obedientiã Chriſti uel impletionẽ Legis,quam patiẽdo ac ſatisfaciendo Chriſtus loco generis humani peperit,quæ quidem Legis iuſticia per ſanguinem Chriſti acquiſita , nobis donatur, applicatur , imputatur , credentibus in hunc ſaluatorem.Ex hoc fonte omnes haurimus gratiam pro gratia,iuſticiam,conſolationem,pacem, & uitam æternam . Non enim eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus,per quod oporteat nos ſaluos fieri.

Eodem modo & doctrina de Bonis operibus illuxit , quòd nimirùm bona opera ſint fructus gratuitæ coram Deo acceptationis ſeu iuſtificationis,

perinde ut bonæ arboris ſuauia poma: Ac dicantur bona opera, non quæ ipſi homines proprio arbitrio confingant, ſed quæ in Decalogo eiuſq; explicatione in uerbo Dei ſint præſcripta, quæ quidem etſi imperfecta ſint in hac uita, tamen per fidem in Chriſtum Deo placeant, 1. Petri 2. Superſtitioſi cultus aboliti ſunt, quibus paßim homines erãt horribiliter faſcinati.

Vnicum aſylum hominum perturbatorum & afflictorum inuocatio eſt. Ea uerò in Papatu ita erat à Deo auerſa, atque ad mortuas creaturas conuerſa, ut nulla inter gentes fœdior unquàm idololatria extiterit. Sed hoc tempore repudiatis mediationibus ac interceßionibus defunctorum hominum, ad ipſum Deum Mediante Ieſu Chriſto, æterno & unico Pontifice, homines ſunt deducti, & oſtenſum eſt, Solum Deum, & in ſolius Chriſti nomine ac fiducia, inuocandum eſſe: Hoc modo quaſi uepribus ſemotis, aditus ad ipſum Deum patefactus eſt.

Plurimi inepti & ſuperſtitioſi ritus, à baptiſmo ſunt remoti: & inprimis prophanatio atque peruerſio Cœnæ Dominicæ horribilis, eiuſq; mutilatio, claritate uerbi Dei indicata, & legitimus uſus reſtitutus eſt. Porrigitur nota & uulgari lingua omnibus Chriſti fidelibus uerum corpus & ſanguis Domini, quæ prius Antichriſti grex offer-

re ſeſe dictitabat Patri cœleſti, pro uiuis & mortuis. Præterea uſum ſanguinis Chriſti Laicis grandi cum ſcelere Pontificij ſubtrahebant. Fruitur igitur Eccleſia Chriſti hodie integro noſtri Saluatoris Teſtamento, & læto pectore gratias agit pro tam benigna applicatione & obſignatione Chriſti, eiuſq; beneficiorum. Gratulemur igitur toti Eccleſiæ, quòd hæreditatem illam precioſiſsimam, Teſtamento Domini ſibi delegatam, totam nunc adit, accipit ac poſsidet.

Claues quoque à CHRISTO *traditæ, non amplius raſo & inuncto generi hominum, ad rapiendas facultates, ad uindictas expetendas, & libidines explendas ſeruiunt, ſed uerbo adminiſtrantur, ad hominum conuerſationem & fidei confirmationem.*

Quæ ſint germanæ & genuinæ Eccleſiæ notæ, palàm ex uerbo Dei prolatum eſt, nempe Verbum Dei incorruptum, & legitimus ſacramentorum uſus. Vbicunque igitur iſtæ proprietates exiſtunt, ibi, non dubium eſt, ueram Dei Eccleſiam eſſe, in qua efficax eſt D E V S, *per illa, quæ notauimus media. Vbi uerò iſta uel non reperiuntur, uel deprauata ſunt, Phariſaico ſeu Philoſophico aut humano fermento, ibi nequaquàm eſſe* D E I *Eccleſiam, licet clamoribus, conuicijs, pugnis, & cædibus*

titulum Eccleſiæ ſplendidiſſimum Pontificij tueri conẽtur, manifeſtum eſt. In Germania igitur hoc fœliciſſimo ſeculo primùm uoce Lutheri & aliorum θεοδιδάκτων, Eccleſia propria Dei rurſum efflo ruit, & à cœtu Eccleſiæ malignantium & perſequentium, eſt ſegregata. Nam etſi ſub medio Papa tu, ſparſim uera Eccleſiæ membra fuerunt, quæ cre diderunt in Chriſtum, ac idolomanias & uarios errores abhorruerunt, tamen reliquorum multitudine & potentia preſſi, ueluti in obſcuro carcere de lituerunt. At iam repurgata Eccleſia, publicè cœpit Germania ueritatem profiteri & contradicen tes conuincere.

Sed ſingula doctrinæ capita recenſere, longum foret. In confeſſo eſt, totum corpus doctrinæ cœleſtis ſimpliciter, dilucidè, propriè, dextrè erutum & traditum eſſe à Theologis Germaniæ, quale in omnium Patrum ſcriptis poſt Apoſtolos nullum inuenitur. Corpus autem doctrinæ appello, ſingulorum articulorum accuratam, & ex fundamentis ſacroſanctæ Scripturæ hauſtam explicationem, qualis in Lutheri libris continetur. Nam qui locos, Methodos, aliaq́ compendia ſcripſere, ultro confeſſi ſunt, ſeſe ex Lutheri ſcriptis, per quem uoluit inprimis ſuam ueritatem hoc ſeculo ex monumentis Prophetarum & Apoſtolorum patefacere Deus, ſua deſumere, & ſolummodo ad captum iuuentutis adornare.

adornare. Quòd uerò aliæ quoq; nationes idem ſtudium ſecutæ ſunt, non ipſis inuidemus, licet magna in multis ſit differentia.

Huc pertinet Catechiſmus, quem Germania primùm accepit per miniſterium Lutheri ita ſolidè, ſuccinctè & perſpicuè declaratum, ut nullus in publicum rotundior & neruoſior, in lucem, poſt ſacras literas, quas ſemper excipio, prodierit unquam. Loquor autem de Paruo uti uocatur Catechiſmo Lutheri uel præcipuè, quem pueri ac puellæ iam per Germaniam memoriæ mandant, ante menſas recitant, in templis ſuauiſſima uoce profitentur, & iuxta eam explicationem, fidem ac uitam omnem Deo gubernante inſtituunt. Adultioribus, poſtea ſeruiunt prolixiores enarrationes.

Multi quidē multos compoſuēre Catechiſmos, poſt illum Lutheri, de quo dixi. Verùm res ipſa teſtatur, nullum ſucculentiorem & planiorem hactenus à quoquam prolatum, quàm Lutheri ſit, quæ res argumento eſt, ſpiritum ſanctum tam ſalutari operi adfuiſſe. Relinquantur ſanè aliorum operæ & libri ſua in æſtimatione, modò cum fundamentis uerbi diuini conſentiant: ſed omnium uenia, credo pios Paruo Lutheri Catechiſmo, palmam non immerito tribuere. Liuidos autem & ambitioſos, hac in parte nihil uereor.

Commentarios quoq; in libros ſacros, ordinem,

phraſin, locos ſeu applicationes atque uſum doctrinarum, quaſi digito cōmonſtrantes, Germania hactenus edidit quam plurimos, lōgè neruoſiores, lucidiores, & ſacri ſalis pleniores, q̄ unquàm in tota illa poſt Apoſtolos antiquitate prodierint. Plus enim rerum in uno aliquo ſcripto exegetico Lutheri in Prophetam, aut Pſalmum inuenias, quàm in multis libris Patrum, idque me cum alijs, abſque inuidia pronunciare poſſe, credo apud pios omnes extra controuerſiam eſſe. Hîc ſi catalogum eorum librorum, quos Germani, hiſce annis inſtaurati rurſum Euangelij, euulgârunt, inſtituere, atque in ijs annotare uellem, cuiuſque ſingulares quaſi uirtutes ac ſpiritus ſancti teſtimonia, dies me hic deficeret. Res autem ipſa ante omnium oculos uerſatur. Redundat enim uniuerſa Germania, non tantùm exterorum, uerùm ſuis quoque ſuorum doctorum monumentis uel omnium maximè.

Ad hanc partem doctrinæ, iure referendas cenſeo ſacras conciones, quæ ad populum habentur, non modò ſingulis Dominicis diebus, uerùm in ſeptimana quoq; crebrius. Nāq; in ijs lucet rerū grauitas, quæ Papiſticis tenebris ubique regnantibus, prorſus ignotæ erant, apta ad diſcendum diſpoſitio atq; ordo; oſtenſio fundamentorum quorumlibet articulorum fidei, uerborum proprietas ac lumen,

men, ita ut auditores nō fabulas ſanctorum, non inanem uerborum ſtrepitum, ſed res ad ſalutem ſuam cultumq́; Dei neceſſarias, rectè intelligere, & facilè memoria comprehendere queant, omniaq́; Antichriſti falſa dogmata & impios cultus, ex lucidiſſimis & ualidiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, diiudicare, ſuumq́; ἀρχιποιμένα *Ieſum Chriſtum ſe qui norint.*

Tertium Eccleſiæ beneficium, à Deo Germaniæ præſtitum, eſt patefactio Antichriſti tam euidens, tam liquida, tam aperta, ut nullo unquam ſeculo in mundo ſimilis acciderit, iamq́; tantum reſtet aduentus Chriſti, qui eum ſua potentia penitus deſtruat. Notæ enim omnes, quæ à Daniele, Iohanne, Paulo, Petro, Spiritus ſancti inſpiratione ſunt annotatæ, ad Pontificem Romanum, eiuſq́; arrogantiſſimam denominationem collatæ, apertiſſimè conuincunt, totum illum Papiſticæ Eccleſiæ ſtatum, cum ſuis membris, eſſe Antichriſtum. Senſerunt id quidem plurimi multis retro ſeculis, ac ueluti per tranſennam perſpexerunt, & inprimis Iohannes Hus inſignis ille martyr CHRISTI. *Sic tamen Deo noſtro uiſum fuit, ut Lutherus eam beſtiam Romanam monſtruumque horrendum ingens, quod gentes omnes oppreſſerat, ore ſtyloque præcipuè, publicè ac diſertè indicaret, oppugnaret, & ſpiritu oris Chriſti,*

ut Paulus prædixerat, interficeret. Excitauit *quidem Deus plures in Germania, qui Luthero, poſtquam Antichriſtum Romanum, hoc eſt, totum Papatum aggreſſus eſt, ſubſidiarias operas attulere, uerùm hoc Eccleſiaſtico Duce ac heroe, robore ſpiritus ſancti firmato, primùm iſte Goliath, non humanis uiribus, ſed uoce miniſterij uerbi diuini, calamo & picturis, petitus & proſtratus eſt.* Eam lau*dem ſi quis Luthero, tanquam organo Ieſu Chriſti ſalutari & planè heroico, non relinquit, quid ſibi arroget uideat.* Nos *enim non tam hominis, quàm ipſius Chriſti magnifica opera celebramus.*

Quis uerò niſi oculis menteq́; captus, aut potius ſpiritus ſancti prorſus expers, non uideat, non palpet, regnum Papiſticum, *per orbem diffuſum, omnes fidei articulos nefariè corrupiſſe.* Rudit *adhuc aſinus ille Cumanus in Concilio Tridentino, Anathemata eſſe, quicunq; aſſeuerēt,* SOLA *in Chriſtum fide, peccatores coram Deo iuſtificari.* Non *deſinit horrendam & manifeſtiſsimam idololatriam defendere atq; urgere, nimirū creaturarū mortuarum inuocationem, pro opitulatoribus &* Me*diatoribus.*Pergit *ſacratiſsimi* Teſtamenti Domini*ci, tetram & blaſphemam prophanationem ac mutilationem tueri: offerre* Patri: *quod* Chriſtus *uoluit diſtribui & comedi atq; bibi, ſanguinem effuſum pro* Laicis *quoq;, ſolis impuris ſacerdotibus*

attribuere,

attribuere.Imò ſibi etiamnum poteſtatem non tantum uoce, literis, fulminibus excommunicationum, ſed etiam armis cruentis uſurpare nititur, articulos fidei deſtruendi ac erigendi pro arbitrio. Vereq́; quod de Dracone eſt memoriæ proditum, iſte Antichriſtus, ſua decreta multo piorum ſanguine ſcribit. Iſta igitur & ſimilia ſacrilegia, rapinæ, tyrannides rerum ſpiritualium & corporalium, iſtũ Antichriſtum & ἀντίθεον, in domo Domini graſſantẽ, manifeſtiſſimè & liquidiſſimè coarguũt, eum cunt, omniumq́; oculis exponunt atq; demonſtrant.

Hoc quaſi Augiæ ſtabulum, perpurgatum nunc eſſe diuina bonitate, & ab hoc Pharaone, Germaniæ pleraq; loca liberata eſſe, inter innumera dona hoc ſeculo toti mundo exhibita, non eſt poſtremum. Sonuerũt igitur atq; ſonant adhuc (licet paulò languidius, quàm uiuo adhuc Luthero fiebat.) Angelorum Dei uoces, Cecidit, Cecidit Babylon. Item, Exite ab ea popule meus. Ac tenenda atq; intimis pectoribus imprimenda eſt, iſta Lutheri grauis & uera uox, Eum ſaluũ fieri non poſſe, qui non ex toto corde odiſſet Papatum. Cauſa iuſtiſſima eſt, quia Antichriſtum diligere, eſt Chriſtum odiſſe: ſed abſq; Chriſto nulla ſalus eſt: & quo ſint ablegandi omnes aduerſarij Domini, ex præmonitione ipſius, quæ Matth. 25. extat, non eſt obſcurum.

Quomodo Damaſcenus, Beda & pleriq; alij,

ineptierint de Antichriſto, non eſt ut pluribus re= fellamus. Nondum *enim tempus aduenerat, quo* An*tichriſtus publicè toti mundo eſſet reuelandus, ad quod quidem* Lutherus *noſter à* Deo *fuit delectus, alijque, qui hoc ſeculo ſuam quoque operam con= tulêre. Quid igitur reſtat, niſi ut breui in nubi= bus compareat, qui beſtiam illam ſuperbam, cum omnibus ſuis aſſeclis & cultoribus, qui ad tan= tam reuelationem ſponte, ut noctuæ, tenebras expetiuerunt; in ſulphuream paludem præci= pitet?*

Quartum bonum à Deo *collatum, ex ſuperio= ribus enaſcens eſt, optima & ſaluberrima* Eccle= *ſiarum* Chriſti *reformatio, uti uocant, ſeu conſtitu= tio.* Nam *plerisque nugis Sanctorum exploſis, ido= lolatria, hoc eſt, inuocatione & ueneratione de= functarum creaturarum abrogata, prophanatione* Cœnæ Dominicæ *remota,* Baaliticis *boatibus iner= tiſsimorum hominum ſopitis, fucis atq; porcis in ha ris monaſteriorum paßim ſeſe ſaginantibus, profli gatis, reſtitutum eſt miniſterium docendi uerbum* Dei *purè & integrè, ex fundamentis* Prophetico= *rum &* Apoſtolicorũ *ſcriptorũ.* Canunt *lingua uer nacula frequentißimi* Laicorum *cœtus, in publicis templorum congreßibus, ſacros hymnos lætis pe= ctoribus et uocibus.* Tenera *iuuentus, inter ſeniores medijs in templis conſurgit, &* Catechiſmi *capita*

ſuccincta

ſuccincta quadam enarratione recitat. Fiunt ardentiſſimæ preces, in nomine Mediatoris unici Domini *noſtri Ieſu Chriſti, à toto populo. Sacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti, clarè, ſineq; omnibus ſuperſtitionibus aut ludis ocioſis adminiſtrantur: accedunt Synaxin adultiores, pueri, uirgines, matronæ, uiri, ſenes, audientes mortis* Dominici *cõmemorationem, & ipſi quoq; beneficia, per Chriſtũ cunctis mortalibus præſtita, pijs animis perpendẽtes,* Deo *gratias agentes, & incrementa fidei petentes.*

Hoc *pacto domum magno cum fructu, ex templis reuertuntur homines. Conferunt cum dulciſſimis liberis & familia, de concione in templo audita, de* Deo, *de remiſſione peccatorum, de uita æterna, & ſimilibus fidei articulis.* Facientes *ſuas operas, non amplius tot uenereas cantilenas, aut nugas de* Hildebrando, *uel* Theodorico *de* Berna, *ut olim ſub* Papatu, *ſed* Pſalmos *&* Hymnos *germanicos perſonant, ex quibus fundamenta fidei illuſtria, & conſolationem in rebus aduerſis, attenta mente notant.* Aegrotantes, *ab ipſo Chriſto auxilium implorant, & uera in ipſum fide certò ſtatuunt, ſeſe habere peccatorum remiſſionem, & eſſe hæredes æternæ uitæ, per & propter Chriſti meritum, non propter ſua opera, eaq; luce accẽſi, pleni ſpe certiſſimaq; fiducia beatæ & glorioſæ reſurrectionis, uita hac mortali defunguntur.*

Etſi

Etſi autem zizania in agro Domini *paſsim pullulant, tamen iſta ſpiritus ſancti dona, conſpicua & non rara ſunt. Quòd uerò Antichriſti inſanum agmen, nobis confuſionem religionis tribuit, id res ipſa publicè refutat.* Et *quid immundus ille ſpiritus aliud eructaret, quàm ut opera* Dei *illuſtria criminaretur?*

Quintum donum eſt miranda cuſtodia, protectio, promotio Eccleſiæ Dei *renaſcentis & effloreſcentis.* Nam *fortis ille ſuum atrium tenens, hoc eſt,* Romanus Antichriſtus, *tanta prudentia, prouidentia, induſtria regnum ſuum firmauerat, ut uideretur immotus planè ueluti terminus ille* Romanus *permanſurus eſſe.* Nam Eccleſiam *atq; politiã, ambabus quod dici ſolet manibus appræhenderat, ualideq; tenebat. Inuadere igitur* Antichriſtum, *ſiue in dogmatibus, ſiue cultibus, ſiue uita, erat initiò quidem, totum* Romanum *imperium aduerſum ſe concitare. Quo enim fœdere* Romano *præſuli, omnes principes ac reges deuincti atq; obſtricti fuerint, neminem ut opinor latet, &* Monarchæ *quoque* Papã, *perinde ut ouiculæ* Arctolycon, *metuere cogebantur. Conſueuerat enim ille excelſus* Dominus, *ceruices* Imperatorum *calcare. Quòd igitur initiò unus* Monachus, *quaſi ex antro progrediens, penna & uocis ſono ferit idolomaniam, ſacrilegia, errores totius* Papatus, *neq; eueſtigiò cũ*

cute

cute & crinibus uno impetu abſorbetur, tanquam à Ceto Ionas, id miraculum Dei eſt, non opus huma num. Idem perpendamus in progreſſu. Quòd pri- mum pauci numero, reſurgenti quaſi ex mortuis Chriſto, nomina dant, quòd deſtructis idolomanijs, ſynceram inſtituunt Eccleſiam, ijq́; non ſunt à con- iuratis Antichriſti oppreſſi penitusq́; deleti, imò quòd ueluti Danieli Leones iratiſſimi & robuſtiſſi mi, occluſis faucibus aſſederint: item quòd multæ multorum inſidiæ, machinationes, conatus fracti ac retardati ſunt, ut interea latius ſeſe Verbum Dei per Germaniam diffunderet, ingens eſt clementiſſi mi & omnipotentis Dei beneficium, qui ut pro ſua immenſa miſericordia, hac ætate uoluit Germani- am in ſuum regnum uocare, ita etiã ſua manu pro- texit, ſeruauit, liberauit. Imò quod præſentiam ac benedictionem Dei ſingularem declarat, quò maio ri uiolentia aduerſarij tentauerunt Euangelij lucẽ atq; incrementa, ueluti florem intra ipſam herbam adhuc occluſum, extinguere & perdere, eò ueluti palma, uerbi ſynceri uis magis enituit, altiusq́; aſ- cendit. Quò plura inſtituta fuere Colloquia, ut in ijs peculiari Sophiſtica, & ſubtilibus ex intimis me dullis Scotiſtarum prolatis diſputationibus, Euan- gelij ſynceritas obrueretur, & quaſi ſtrangulare- tur, eò magis claritas uerbi diuini effulſit, pluresq́; ei ſeſe adiunxerunt, cuius quidem rei hiſtoria ipſa

teſtis

teſtis eſt.Reipſa igitur cognouimus,uerbum Dei *ſi oppugnetur,magis eniteſcere,quemadmodū præclarè à ueteribus dictum eſt, Sanguinem Chriſtianorum rigare ac fœcundare* Eccleſiam, *ut copioſiores inde Chriſticolæ enaſcantur.*

Huc igitur referamus, & propagationes Eccle*ſiæ* Dei *in exteras gentes, & martyres excellentes omniū ordinum,qui non dubitârunt, dignitates & opes amittere,imò uitam etiam ipſam pro hac religione profundere, eaq; ratione ueritatē cœleſtem obſignare.* Inter *hoſce uerò* Martyres *iure etiā cenſetur* Iohannes Fridericus *princeps* Elector,*perpetua honorū memoria digniſsimus,qui nullis uel pollicitatiōibus uel minis,uel pœnis adigi potuit,ut* In*terimiſtico libro ſubſcriberet, maluitq; gloriæ ſuæ corporalis,quàm æternæ iacturam facere.* Reliquo*rum uerò excellētium martyrum cateruā,prolixitatis gratia recēſere non poſſumus.* I*ſta aūt omnia, ſicut & ſuperiora, pij ex hiſtorijs cognoſcant, & mētes ad conſiderationē plurimarū rerū intendāt, quas breuis hic noſter ſermo complecti non poteſt.*

Sextum regnantis Chriſti ad dexteram cœleſtis Patris,*opus & beneficium eſt.doctiſsimorum uirorum, ac ſalutarium* Eccleſiæ *miniſtrorum copia:* Nam *quoties uiſum eſt* Deo, *ſuam repurgare atq; inſtaurare* Eccleſiam, *ſeruos idoneos exuſcitat.* Quot *autem quantiq; in* Eccleſia Dei *ſummi uiri*

(Nam

(Nam de alijs alibi dicendi locus erit) paßim hac ætate per Germaniam claruerint magis, quàm in toto reliquo terrarum orbe, notius eſt, quàm ut ſingulorum nomina recenſenda ſint. Exceſſerunt aliqui ex uiuis, quidam adhuc funguntur officijs. Neq; tantum eorum multitudo, & quaſi exercitus ſacer Domini, ſpectandus eſt, ſed dona eruditionis, fidei, zeli ac confeßionis, linguarum, laborum, ſcriptorum, quæ omnia ſunt eiuſmodi, ut uideatur Chriſtus quaſi largißimo imbre, in Germaniam ſua dona effudiſſe. Libri ſacri tot ſunt ſcripti ac publicati, ut in mundo nunquam plures in lucem uenerint, latiusq; diſperſi ſint. Superioribus annis in Papatu, ſcriptores librorũ rarißimi erant, tamq; horridè, frigidè & ineptè pleraq; ſcriptitabantur, ut nauſeam & faſtidium, obiter ſaltem aſpicientibus adhuc adferant. Plurimum etiam differunt mancipiorum Antichriſti, de ſacris rebus Coccyzationes, à Germanorum Theologorum libris, quos officina Lutheri & aliorum rectè ſentientium, per ſpiritum ſanctum euulgauit, id quod non eſt difficilè iudicare ſana mente præditis.

Septimum Dei noſtri beneficium eſt, quòd ſingulari protectione & gubernatione, omnium hæreticorum impetus & conatus, quotquot ſeſe renaſcẽti Euãgelio nefariè opponere auſi ſunt, fracti ac dißipati ſunt. Ita enim ſolet uſu uenire ſemper, quo-

ties

ties Deus Eccleſiam aliquam, ſalutari & uiuifico ſuo uerbo extruere parat, toties ille hoſtis Dei in perniciem hominum prope ſeu ponè, ut uulgo loqui ſolemus, ſacellum collocare nititur. Ita hoc etiã tempore, fucorum & ueſparum examina, ad turbandum mellificium Dei produxit Satan, nempe Anabaptiſtas, Sacramentarios, Antinomos, Enthuſiaſtas, Cothurnifices ſeu Concinnatores Chriſti & Antichriſti, ueritatis & mendacij, & ſimiles præſtigiatores: Verùm monſtra iſta Deus, luce & potentia uerbi ſui redarguit, conuicit, profligauit tã ualidè, ut ſyncera uerbi diuini doctrina, ſuos potuerit progreſſus mediocres facere.

Etſi autem nunc poſt Lutheri obitum, noua ueluti capita hydræ Lerneæ adnaſcuntur, ex quibus teter halitus procedit, tamẽ Deus hactenus clementer exuſcitauit aliquot doctores, qui nouis iſtis ſtrumis, ſecurim uerbi diuini impegerũt, ut aliquod ſaltem ſemen ſanctum in Germania, ſit ex Dei miſericordia huc uſq; relictum. Quid autem porrò ſit futurum, mundo ad extremum caſum uergente, non obſcurè à Chriſto prædictum eſt. Noſtrum eſt orare, confiteri, & ſtatuere, aliquam ſaltem Eccleſiã, licet exiguam permanſurã, uſq; ad extremam mundi ruinam, quantumuis furentibus Diabolis, & omnibus eorum ſubditis.

Octauum Dei beneficium eſt, quòd in cribratio

ue Germaniæ, cùm Interim (uti uocatur formula illa religionis, quæ ad Papatum homines, non tam rationibus ex uerbo Dei deprõptis, quàm euaginato enſe uocabat.) paßim graſſaretur, Deus ex immenſa bonitate & dilectione erga Germanos, tum perſecutioni modum ſtatuit alium, quàm hoſtes animo decreuerant, tum catellos aliquot excitauit, pleriſq; Moloßis dormitantibus, tantumq; imbecillibus licet illis latratibus effecit, ut non modò chaos illud religionis exploſum, ſed etiam aliæ ad Antichriſtũ inclinationes, ceßiones, largitiones, conformationes, impeditæ, & confeßionis Auguſtanæ confeßio, iterum in lucem ac medium theatrum ſit producta. Etſi autem catellorum latratus, ſupra modum inuiſi fuerunt, non tantum hoſtibus ſynceræ Euangelij Chriſti profeßionis, ſed etiam Moloßis quibuſdam, qui ſua uel dormitatione, uel intempeſtiua palpatione, nimium de rebus non ſuis, ſed ipſius Chriſti largiti fuerant, tamen Dei opus agnoſcendum eſt, qui ad fundamenta doctrinæ aliquos iterum reduxit. Remurmurantibus porrò quibuſdam Deus ora obſtruet, aut cum tempore pacem eis imponet. Interea uerò monendi omnes Deum timentes, ut opus Domini non blaſphement.

Hactenus genera quædam Eccleſiaſticorum beneficiorum Dei ſtrinxi potius quàm explicui, nunc ad politica nonnulla accedendum eſt.

Inter ea uerò Dei dona, quæ ad politiam ſpectant, primũ eſt ex Eccleſia manans, quod uerè in Chriſto gloriatur Lutherus, ab Apoſtolorum temporibus huc uſq;, doctrinam de autoritate, dignitate, officio Magiſtratuũ, non tantopere illuſtratã fuiſſe, atq; à ſe in ſuis ſcriptis factũ ſit: poſtea uerò alio rum in Eccleſia Chriſti rectè docentium, ſuffragia & elucidationes acceſſerunt. Nam quantopere Ro manus ille Antichriſtus, Magiſtratus Politici auto ritatem & officium fregerit atq; deturparit, ex hi ſtoria aliquot ſeculorum notum eſt. Non enim tantùm perſuaſum fuit omnibus, Monarchas bona con ſcientia, in ſuo munere nequaquàm uerſari poſſe, niſi à Monſtro illo Romano, comprobationem & confirmationem accepiſſent, ſed etiam quòd difficillimum ſit, in eo uitæ ordine ſaluari. Multi igitur eò dementiæ proceſſerunt, Principes, Reges, & Imperatores, ut ſponte Magiſtratu ſuo abdicato, in Monaſteria ſeſe abdiderint, quidam uerò defuncti, ſordidis Monachorum cappis, ſeſe ueſtiri ac tumulari iuſſerint. At hodiè Euangelium Chriſti, pios Magiſtratus ex Eſaia ornat, quòd ſint nutritij Eccleſiæ, hoſpites Eccleſiæ ipſius, externi cuſto des Legis diuinæ, Iudicia quæ exerceant, eſſe ipſius Maieſtatis diuinæ iuſticiam, unde etiam Dij nun cupentur, ſeu Vicarij Dei in terris, quòd multò gratiora coram Deo opera faciant Magiſtratus,

ſapienter,

ſapiēter, piè, rectè exequentes ſuum à Deo ſibi demandatum munus, quàm omnia in omnibus Monaſterijs ac templis, raſa munctaq́; pecora Papæ. In promptu autem cauſa eſt, quia ex præcepto Dei, eiusq́; uice agunt quæcunque agunt, iuxta miniſterium ſuum Magiſtratus Chriſtiani, ac norunt, fide in Chriſtum, eas actiones Deo acceptas eſſe. Monachi uerò, reliquaq́; Antichriſti mancipia, de ſuis conatibus & operibus, nullū habent uerbū Dei, ſed potius interdicta ipſius Dei, meriſq́; hominum commentis inſiſtunt. Quid pulchrius dici poteſt, q̃ quòd ex reuelato Dei uerbo, diſcūt pij Magiſtratus, quo modo omnem ſuam gubernationem, ad gloriam Dei, ad ſalutem æternam ſubditorum, ad incrementa regni Chriſti, referre debeant? Audiunt ſeſe pro ſuis multiplicibus laboribus, æterna præmia conſecuturos eſſe?

Secundum politicum beneficium Dei eſt, legum ciuilium illuſtratio atq; ſciētia. Nam ex uerbo Dei patefacto, hoc etiam bonum exundat, ut Leges ciuiles maius acceperint lumen. Nam Decalogus fundamentum, & ſcaturigo, & norma eſt legum honeſtarum omnium. Eo uero declarato in Eccleſia, non poſſunt non eius riuuli quoque, inde magnam dignitatem & autoritatem accipere. Quæ ex uerbo Dei Hieronymus Schurffius, ſuis inſeruerit Conſilijs, manifeſtum eſt, ut de alijs non dicam,

imò iura politica, tam ſunt perſpicua prælucente Euangelio Chriſti, ut iam ſinuoſa uolumina Iuris ue luti Theſeo filo monſtrato, ſine magno negocio diſci, & ad uſum transferri queant.

Tertium bonum ciuile eſt, quòd ſubditi ex Euangelij doctrina, honorificentius de Magiſtratu ſentiunt, eiq; promptius ac liberalius obtemperãt, atq; ſuam etiam uitam, iuxta regulam uerbi diuini rectius dirigunt. Licet autem Diabolus ſua quædam ſemina ſubinde ſpargat, & non exigua ſit Sanctorum infirmitas, tamen non eſt dubium, precibus atq; officijs alijs, ſubditos uerbo Dei inſtitutos magis iuuare atq; ornare Magiſtratum, quàm ſub regno Papatus factitatum ſit.

Quartum Dei beneficium, in hoc genere eſt, à rapinis, quibus latro ille Romanus, eiusq; ſatellites & complices, opes Germaniæ multis ſeculis expoliarunt & perpurgarunt, patria noſtra eſt liberata. Inùtiles profuſiones in Vigilias, Miſſas, ædificia, peregrinationes, ceſſauerunt. Didicerũt enim Germani, in res Deo gratiores conferre ſuas facultates, ſi quas habent. De alijs uerò abuſibus, in præſentia non inſtituam querelam, ne à ſcopo propoſito, mihi deflectenda ſit oratio.

Oeconomica uerò beneficia politicis uicina ſunt, & ex Eccleſiaſticis ſimiliter, ut ciuilia profluunt, inter quæ tantùm iſta in præſentia recenſebimus:

Primùm,

Primum, quòd doctrina de Coniugio uitaq́; Oeconomica, clarius eſt explicata, quàm multis retrò ſeculis poſt Apoſtolos eſſe factum. Nam de dignitate, fine & adminiſtratione coniugij, uoce ac ſcriptis ita eruditi ſunt homines in Germania, ut ſciant Deum & inſtituiſſe primitùs, & conſociare adhuc Coniuges, omniaq́; opera, coniugio uerè competentia, qualia ſunt educare liberos, parare uictum, & ſimilia, Deo per fidem in Chriſtum placere, & id quidem multò magis, quàm omnium Monachorum & Monialium, quantumuis ſplendida opera, quæ non præcipit ſed uetat Chriſtus Matth. 15. & 24. Hoc decus cõiugij, quod ex illuſtrata doctrina Dei promanat, homines alacriores efficit, in omnibus boneſtis actionibus. Nam Papatus in hoc ipſum, ſingulari arte & ui incubuit, ut coniugij dignitate quaſi eneruata, homines in eam opinionem adducerent, in coniugio ſeſe parùm Deo ſeruire poſſe. Hac impoſtura plurimi faſcinati, in ipſis nuptijs uel diſſiliere, uel ſtultis uotis ſeſe obſtrinxerũt, aut poſt aliquot annorum dulcem copulationem, ac liberorum procreationem, uelut œſtro perciti, ſua ſponte diuina iſta uincula, tetra ἀστοργίᾳ ruperũt, Monaſticisq́; idolomanijs ſeſe dediderũt. Quo quidem ſcelere, quid poteſt dici atrocius?

Secundum beneficium Oeconomicum eſt, quòd ciuitates ab impuro Sacrificulorum cœlibatu, per

uerbi diuini lucem liberati ſunt. Nam *ſpurcus ſacrificulorum ſeu* Sibaritarum *& Sodomitarum cœlibatus, plurimas* Oeconomias *fœdiſſimè contaminabat, id quod ipſa experientia ſatis ſuperq́; commonſtrauit. Sanctum itaq; coniugium, & thorus immaculatus, nunc iſtis ſponſis* Penelopes *ſequeſtratis, obſeruatur. Si quid uerò pollutionis excitat diabolus, à* Magiſtratu Chriſtiano *ſeuerè corripitur, q̃ ſi negligẽs eſt, pœnã* Dei *procul dubio incurrit.*

Tertium donum eſt, ſchola domeſtica, cuius quidem ſunt pij parentes Rectores. *Nã à teneris annis iuuentus* Catechiſmo *imbuitur, docẽtur liberi à primis cunabulis, quem* Deum, *& quomodo inuocare debeant,* Vnde *ſit peccatum, quomodo coram* Deo *iuſtificemur, quomodo moriendum & reſurgendum ſit.* Hîc *plantæ illæ cœleſtes pullulant, & ſuccreſcunt in laudem* Dei, *& utilitatẽ uitæ humanæ.* Tot *igitur ſunt tẽpla* Dei, *tot uernantiſſimi & pomiferi paradiſi* Domini, *quot piæ œconomiæ, qbus nulla Cœnobia* Papiſtica *cõparari debẽt.* Huc *reponendum eſt, q̃ opũ aliarumq́; rerum oĩm in mundo finem uſumq́; licitum, coniuges ex* Euãgelio *diſcũt.*

Communia *deniq; beneficia* Dei, *pariter ad* Ecclesiam, Politiam *&* Oeconomiam *ſpectantia, ſunt innumera quoq; & excellentia, de quibus ne immodicè excurrat oratio, tantum aliquot paucis uerbis annotabo, ac ſpero uos citra faſtidiũ, hanc quo-*

que partem orationis audituros eſſe.

Primū commune Dei donum eſt, Scholarū aper tio, tum minorum, quas uocāt Triuiales, tum etiam maiorū, quæ Academiæ et Vniuerſitates appellari ſolēt. Nā in Germania ſimul cū uerbo Dei, renatæ quaſi ſunt & effloruerunt Scholæ in ciuitatibus & oppidulis, in quibus pueri, à teneris inde unguicu= lis quod dicitur, in pietate, in artibus, in linguis in ſtituūtur magna dexteritate, perſpicuitate & faci litate, ut hodie in ſcholis pueri teneant, quæ domi= nante Papatu, tumidiſsimis Doctoribus fuerūt igno ta, Imò ſimul cum ſcholis ingenia adoleſcētum Chri ſtus illuminauit, ut Germania repleta ſit doctiſsimis uiris in aulis, in curijs, in domibus.

Academiæ uerò Germaniæ, tantā acceperūt cla ritatē, ut in illis primùm, ac multis hactenus annis, Theologia ſyncera ſcaturierit, & quaſi ex uberri mis fontibus, in alias quoq; lōginquas regiones deri uata ſit. Etſi aūt Interimiſticæ molitiones, nonnihil turbationis attulerint, & aliquid labis aſperſerint, tamen & ſunt quædam adhuc puræ, & oramus De um, ut limpidos fontes paſsim reſtituat.

Secundū Dei beneficiū, quod cōmune cenſetur, eſt prælorū cultura, expolitio & copia. Sine omni enim dubitatione credendum eſt, propter hanc i= pſam Euangelij illuminationem, ac propagatio= nem in mundo nouiſsimam, hoc medium ante ali=

quot annos, diuinitùs in Germania monſtratum, & hoc tempore adeo excultum eſſe. Quomodo enim tot libri deſcribi, & in uarias regiones diſſeminari potuiſſent, ſi non prælorum celeritate & artificio adiuti eſſemus? Poſtea uerò etiam prodeſt alijs facultatibus, ſuo quodam ordine.

Tertium eſt, ſingularis artium omnium, totiusq; Philoſophiæ illuminatio, quæ quidem ornamenta omnia, Euangelij lucem ac præſentiam ſpiritus ſancti comitata ſunt. Non enim tantùm artium dicendi præcepta, ut de ijs primo loco hîc diſſeram, multò clarius, quàm ab Ariſtotele, Cicerone aut quoquam alio tradita ſunt, ſed multo expreßius & dexterius, earundem applicatio atq; uſus eſt oſtenſus in Theologia, in Iure, in re Medica, in omnibus uitæ humanæ actionibus. Sub Papatu uerè, quod dicitur, nullus & nemo mordebant ſe in ſacco. Quàm enim facilè hodie diſcunt pueri, coniungere orationem, & texere carmina? Quàm ſunt dialectices ac Rhetorices præcepta cuiuis, ex Germanorum libellis obuia? Manifeſtum enim eſt prius cum tenebris Papiſticis in religione, ſimul etiam artium iſtarum obſcuritates & perplexitates inualuiſſe, quæ res multa præſtantia ingenia ita obtudit & hebetauit, ut in reliquis ſtudijs, ulteriores progreſſus facere, pauloq; altius aſcendere non potuerint.

Phyſica etiam & Ethica, nitorem in Germanicis

cis Scholis, ab Euangelicis uti uocantur profeſſoribus accepit. Nam ubi Euangelium Chriſti illuceſſit, ibi ſuas illas ancillas omnes illuſtrat & ornat, & ad legitimum finem deducit. Eo uero obſcurato, nox alta diſciplinas omnes obumbrat.

Poëtis quoq; clariſſimis, præſertim pijs, Germania hac ætate non cedit ulli nationi, id quod poemata Eobani, Micylli, Sabini & aliorum probant.

Imò omnes facultates ex Euangelio inſtaurato, dignitatem & lumen acceperunt, atq; ut in præſentia tantùm unius partis, in re medica faciã mentionem, in Germania inquiſitio, ſtudium & noticia herbarum effloruit. Monſtrauit multas herbas, quarum nomina antea latuerant Germanos, Valerius Cordus, Tragus, Fuchſius, & Apothecas ſalubriter reformarunt. Quod uerò poſtea etiam aliarum gentium uiri induſtrij, ſuas inquiſitiones & indicationes addidere, ſuã quoq; laudẽ mereri cenſemus.

Quartum eſt, linguarum uernacularum & peregrinarum cultura. Nam in Germania Hebraica lingua cœpit proferri, grammaticæ inſtitutiones omnium compendioſiſſimæ & perfectiſſimæ à Munſtero & alijs iuuentuti propoſitæ ſunt. Græca in omnes ſcholas triuiales quoq; introducta eſt. Latina ita uulgaris effecta eſt, ut pueri antequàm ad Academias ablegentur, Græcè & Latinè eleganti ſtylo ſcripta contexant.

Germanica porrò lingua adeò limata & perfe=ćta eſt, ut nullo unq̃ tempore terſior, clarior, ſonã tior fuerit, quæ res aulis et curijs quoq; uſui fuit. Ma gnas igitur in patria etiã lingua, Luthero oẽs Ger mani gratias debent. Mechanicarũ rerũ uel inuen=tionẽ, uel egregiã expolitionẽ à Germanis artifici bus, non recẽſebo. Conſtat Durero Germano nõ ex titiſſe hoc ſeculo pićtorẽ excellentiorẽ, ut Lucã & alios taceã. Molarum et horologiorũ opera, hoc tẽ pore multo ſubtiliora & ad uſum aptiora, in ipſa Germania formata ſunt, q̃ antea. Sed iſta prætereo, quæ tamen omnia præſentiæ ſpiritus ſanćti, quibus Euangelium ſuum ornare uoluit, tribuenda ſunt.

Hæc omnia, quæ delibauimus magis q̃ expoſui=mus in præſentia, an non ſingularia, magnifica, ſa=luberrima Dei noſtri dona ſunt? quæ quidẽ adeò cu mulatim in hanc noſtram Germaniam effudit, tam liberaliter lateq; diſperſit, ut omnibus talpis cæcio res ſint, qui non uideant, omnibus Caucaſi rupibus duriores, qui non moueantur, omnibus piſcibus mu ti magis, qui non aliquas ſaltem Deo gratias perſoluant, quia nullo munere iſta ingentia & in=numera bona ſpiritualia & corporalia, compenſa re poſſumus. Cohortemur igitur nos mutuo, & ut Deus noſtra pećtora torpentia, ſuo ſpiritu ſanćto afflet atq; inflammet, oremus, ut, quod in æterna uita multò iucundius & perfećtius faciemus, ſal=

tem

tem hic iſta ſumma Dei opera, quibus Germaniam condecorauit, aliquo modo agnoſcere, prædicare, & celebrare inchoemus. Deinde ex iſta enumeratione diſcamus, quid Deo uiciſsim debeamus, nempe ut hæc κειμήλια, & precioſum depoſitum uerbi ſui fide, cōfeßione, uoce, ſtylo, oratione, quilibet conſeruare, & ad poſteritatem tranſmittere ſtudeat, neque uel ſupina negligentia, uel præpoſtera Philoſophia, & peruerſa ſapientia humana, ſynceritatem uerbi deprauemus aut profligamus. Nam uariæ ſunt inſidiæ Diaboli, & mundi uia lubrica eſt. Reddenda breui erit ratio uillicationis noſtræ, Et quò maiora Dei beneficia conferuntur, eò atrociores pœnæ inſequuntur abuſum & contemptum. Verùm de his rebus alibi paulò copioſius dicendum erit.

Iam quemadmodum ipſam materiam gratiarum actionis uberrimam, punctis quibuſdam oſtendere ſum conatus, ita exemplo etiam me uobis præire decet.

Agimus igitur tibi Ieſu Chriſte, qui regnas ad dexteram Patris, gratias, quantas in hiſce mortalibus pectoribus, per ſpiritum ſanctum concipere poſſumus, quòd ex gratuita miſericordia, tanta bona in Germaniam contuliſti, inprimis uerò, quòd annos iam circiter quadragintaocto, tibi puriſsimo Verbo tuo, abſterſis omnibus

preſtigijs

præſtigijs & illuſionibus Antichriſti Romani, *in Germania* Eccleſiam *uocaſti & ſanctificaſti; pieta te, doctrina, ſapientia, & alijs rebus eam locuple-taſti, atq; in editum quaſi locum eius candelabrum poſuiſti, quas ob cauſas æternam tibi gratitudinem & reuerentiam debere, nos fatemur*. Oramus *te quoq; coniunctis uotis, ut mũdi ueſpera irruente, nobiſcum maneas, puritatem doctrinæ tuæ conſer-ues, ſcholas paruas & magnas purges atq; illumi-nes, & ſpiritu tuo ſancto plurimorum hominum pe ctora illuſtres, ut per totam* Germaniam, *tibi* Ec-*cleſia ſancta cõgregetur, uſq; ad nouißimum diem: adde etiam plures alias nationes, quæ* Euangelium *tuum ſitiunt, atq; gemitibus perpetuis tuam opem implorant, ut ab impoſturis* Papæ *ſuarumq; crea-turarum benignè liberentur.* Mitiga *pericula præ-ſentia & impendentia*. Conſerua Politias, *ut tibi prodeunti cum* Maieſtate *ex cœlo, in altas nubes e-recto uultu & hilari corde, occurrere ualeamus.* Amen, Amen.

DIXI.

DE MALIS, INCOMMODIS ET *periculis, quibus iam premitur* Germania:

BEneficia *maximè inſignia, quibus pro ſua im-mẽſa miſericordia,* Germaniã *potißimũ, hoc*
poſtremo

poſtremò mundi ſeculo, ornauit atq; illuſtrauit Deus, *nuper attigi potius aliquantulum, quàm plenè enumeraui, ut* Deo *noſtro aliquas ſaltem gratias agamus, & tantis bonis piè rectéq; fruamur.* Nunc *uerò in animo mihi eſt, mala aliquot & pericula omnium euidentiſsima, quibus in hac omnium mundanarum rerum inclinatione,* Germania *affligitur & uexatur, breui narratione commemorare, ut timorem* Domini *in nobis, regēte ſpiritu ſancto, paululum exuſcitemus, agamus pœnitentiam, rogemus quæ ad pacem ſunt* Ieruſalem, *corrigenda corrigamus, faciēda faciamus, & nos ad iudicium illud ſublime, utpote in aëre à* Ieſu *Chriſto iudice uiuorum & mortuorum, breui celebrandum, ſollicitè & religioſè præparemus.*

Et*ſi autem facilè animaduerto, hanc orationem de malis nos infeſtantibus, multò futuram eſſe amariorem & ingratiorem, quàm illa prior fuit, qua eximia quædam ornamenta* Germaniæ *recenſebantur, tamen de utriſq; partibus neceſſaria eſt commonefactio.*Deus *enim ſeſe* Eccleſiæ *ſuæ, tū gratiæ tum iræ quoq; teſtimonijs manifeſtat.* Videmus Prophetas, *iuſſu altiſsimi* Dei, *præſentia peccata, incōmoda & pericula populi* Dei, *omnium frequentiſsimè in ſuis concionibus proponere, exaggerare, urgere atq; inculcare, ut propemodum nimis horridi & immites doctores, & quaſi immiſericordes in*

famatores

ſamatores uniuerſæ Eccleſiæ Dei *eſſe uideantur.* Nam *rarò & perparcè in laudes eius digrediuntur, ac beneficia* Dei *innumera, plerunq; tantùm per antitheſin inſerunt. Cauſa eius rei minimè eſt obſcura, quia non tantum proni ſunt homines ad peccata, ſed etiam tanta amentia ac cæcitate laborant, ut ſua delicta, quibus* Deum *irritant, pœnasq; accerſunt, ægerrimè cognoſcãt, deplorẽt, ac ueniã à* Deo *precẽtur.* Non *ſunt autem nunc meliora illis antiquis, ſed deteriora potius tempora, in quibus mundi interitu appropinquante, & peccata ipſa, & pœnæ magis ingruunt atq; inualeſcunt, id quod* Chriſtus *ipſe ueracißimus uates, clarißimè præuidit, & liquidißimè prædixit.*

E*quidem bene iſtum medicum de nobis ſentire iudicamus, qui et morbum ſolerter, dextrè ac perſpicuè nobis indicat, & ſimul remedium ſalutare applicat.* Audiamus *igitur eos quoq; patienti animo, qui longè grauiores & lætaliores nobis morbos, non unum ſed plures homines iam conſumentes, uera & plana oratione, nobis ob oculos quaſi ponunt, ac uicißim, quanam ratione hæc tanta mala ſalutariter ſananda & tollenda ſint, fideliter docent.* Ad *ſanitatem gradus quiſpiam non poſtremus eſſe dicitur, noſſe morbũ.* Sed *utrunq; ad curationẽ pertinet, tũ cognitio mali, tũ perita & efficax medicina.* Sicut *aũt inſpectio* Ieroſolymæ Chriſto *ingredienti*

grediētim eam largas lachrymas & triſtiſſimas uoces excutiebat, ut diceret: O Ieruſalē, ſi cognouiſſes & tu, & quidē in hac die tua, quæ ad pacem tibi prodeſſent cogitares, nunc aūt ſunt abſcondita ab oculis tuis: Ita nos quoq; decet, cū quadam cōmiſeratione, ingentia & horribilia illa mala, quibus noſtra Germania (nā de alijs nationibus, in præſentia non diſſeram) obruitur, intueri, nō ut exaſperemus & augeamus iſta damna, neq; ut inſultemus nobis ipſis, ſed ut precemur Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut apertis omnium noſtrûm oculis, agnoſcamus, & deploremus ea omnia, atq; uera pœnitētia & precatione, accenſæ iræ diuinæ occurramus. Nam certa Dei uox eſt, Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat, & omnibus temporibus piorum gemitibus, calamitates impendentes mitigatæ ſunt.

Nondum Epitureos ſecuros & pertinaces accuſare uolumus, qui præſentia peccata non uident, teſtimonia iræ diuinæ contra ſe nulla agnoſcunt, ad monitionem rectè conſulentium nullam ferunt: Nam ea pars ad aliū locum pertinet. Sed rogamus oēs, ut in timore Domini, paululū ſepoſitis uel pacatis ſaltē maleſuadis affectibus, aliquantulū dignētur attendere atq; expendere, quæ nam illa mala Germaniæ exiſtimemus eſſe, de quibus dolendū, & pœnitendū, & ardentius inuocandū eſſe Deum cenſeamus:

Vt autem certas metas, in commemoratione tan tarum rerum, nobis habeamus præfixas, primum de Eccleſiaſticis quibuſdam malis, deinde de politi= cis, tertiò de œconomicis, quartò de communibus di cendum mihi eſſe ſtatuò, planè eodem ordine, quo beneficia Dei *&* *decora* Germaniæ *percurri.*

Nihil eſt autem in uniuerſo mundo admirabili= us, nihil maius, nihil præſtantius, quàm Eccleſia Dei, *quam uoce uerbi ſui & miniſtetio* Sacramento *rum, ex ingenti miſericordia & bonitate* Deus *ſibi colligit, ſanctificat, regit & conſeruat.* Sic *hodie quoq; nullum* Dei *beneficium eſt illuſtrius, quàm quòd in hac mundi ſenecta, & peccatorum omnium incremento, in* Germania *potiſſimum lucem uerbi ſui accendit tantam, quanta poſt* Apoſtolorum *tem pora, hic mundus nuſquam uidit, & nebulas* Anti= chriſti Romani *propulſauit.* Sed *multis lachrymis deplorandum eſt, innumera penè mala, partim de formare hoc ingens* Dei *donum, partim etiam rui= nam & interitum ei portendere, imò intentare quoque?*

Primum *enim ſchiſmata quædam uetera & re= centia, in conſpectu omnium uerſantur, quæ & lu= ci uerbi diuini & propagationi eius ſalutari, plu= rimum officiunt.* Etſi *autẽ* Chriſtus *ipſe caput* Eccle *ſiæ ſuæ, diſertis uerbis id nobis prænunciauit, fore, ut homo inimicus zizania non pauca, in ſuum agrũ*

noctu

noctu diſſeminaturus eſſet: tamen meritò deploranda eſt ea conditio Eccleſiæ Chriſti, & iunctis precibus ad Deum, opera danda eſt, ut uel tollantur illa ſchiſmata aliquibus in locis, uel ſaltem mitigentur.

Duo autem eorum ſchiſmatum genera ſunt præcipua, Vnum quod Sacramentarij excitarunt, alterum quod Interim peperit.

Sacramentariorum ſchiſma primum fuit, cuius autores Caroloſtadius & Cinglius extitere, qui ut aliquid ipſi quoq;, in uerbi Dei inſtauratione inueniſſe uiderentur, ex captu rationis æſtimantes Teſtamentum Domini, contenderunt in uſu eius ſacræ cœnæ, tantùm panem & uinum ſumi, eſſeq; mera ſymbola carnis & ſanguinis Chriſti in cœlo exiſtentis. Hæc ſententia, quia cogitationibus humanis affinis eſt; ab alijs quoq; accepta, aucta et ornata eſt. Donec autem Lutherus, in cuius obitu rectè acclamabatur, quòd fuiſſet currus & auriga Iſrael, in uiuis eſſet, ſuisq; grauiſſimis ſcriptis, ſeſe murum pro domo Domini opponeret, ſeminatores iſtorum zizaniorum, ſuis quaſi terminis concluſos, Heluetícos tantùm quoſdam montes tenere cogebat. At hoc tam ſtrenuo uigili Eccleſiæ Chriſti, è rebus humanis exempto, zizania iſta ſuis clauſtris & repagulis quaſi effractis, longius latiusq; in agrum Domini irrumpere atq; radices agere miris artibus conata ſunt. Cauſæ ſeu ſcaturigines iſtius damni mul-

tæ ſunt, de quibus poſtea erit dicendum fuſius, nempe ira Dei, *ingratitudinem uerbi ſui patefacti puniens, Ignauia uigilum, zeli remiſſio, fornicatio cũ formoſiſſima Domina Philoſophia.*

Fuit *hoc ſchiſma, quaſi extra* Eccleſiam *Chriſti poſitum, cùm illi ueteres cœleſtis ueritatis cõfeſſores, iuxta* Dei *uoluntatẽm florerent*. Nam *Sacramentarij non fuerunt pars eius confeſſionis, quæ* Auguſtæ Imperatori Carolo *quinto eſt exhibita, nec deinceps ſeſe eidem adiunxerunt*. Inſuper *in decretis imperij ſolenniter, ab adiunctis ei publicæ confeſſioni, fuerunt ſeparati atq; excluſi, quòd uidelicet nequaq̃* Imperium Romanũ, *Sacramentarios et Anabaptiſtas noſtro loco haberet, aut protegẽdos eſſe cenſeret.* Lutherus *quoq; in* Marpurgenſi *colloquio et poſtea, noluit eos pro fratribus agnoſcere; quia* Teſtamentum *Domini eneruarent, & uerbis ipſius ueritatem & potentiam adimerent.*

Sed nunc in uiſcera Eccleſiæ *hoc malum penetrat, & quaſdam non incelebres* Eccleſias *ſcholasq; inficit.* Imò *pullulant diuerſis in locis iſta zizania, & ſenſim hominum animos corripiunt, donec adoleſcant et regnent, inprimis uerò eorum, qui philoſophica principia in rebus fidei libẽter ſequuntur.*

Viuo Luthero *turgere quaſi uidebantur libri contra Sacramentariorũ errores, nunc uerò confidentius & effuſius Sacramentarij, in ueritatẽ cœle*

ſtem

ſtem libris ſuis excurrũt, & effreni maledicẽdi ſtudio æſtuãtes, nulli parcũt, nõ Chriſto, nõ utentibus eius Teſtamento iuxta uerba inſtitutionis. pauciſſimi uerò eis obuiã eunt, nõnulli etiam de ipſo ueritatis Iure non modicũ remittunt, ultroq́; largiuntur.

Neq; uerò tantum rem præcipuam Teſtamenti Dominici nobis auferunt, contra dilucida uerba Chriſti Sacramentarij, ſed in alijs quoq; articulis non poſtremis, publicè impingunt. Nam aliqui inter ipſos docent:

Infantes ex Sanctis parentibus procreatos, pertinere ad regnum Dei, priusq̃ baptiſentur, id quod eſt ipſam doctrinam de peccato originis deprauare, de quo Paulus ait, nos eſſe filios iræ Dei.

Affirmant quoq; baptiſmum, non eſſe medium per quod Deus iuxta ſuum uerbum regeneret & mundet homines, ſed eſſe duntaxat obſignationem eius regni diuini, quod prius ex promiſſione infantes nondum baptiſati, habuerunt, contra Pauli ſententiam, Ephe. 5. Tit. 3.

Alterum uerò ſchiſmatum genus, nobis planè intestinum, eamq́ue ob cauſam longè pernicioſius eſt, quod ex infauſto illo Interim procreatum eſt. Cùm enim Victorioſus Cæſar oppreſſis ijs, qui antea præcipui Duces Confeſſionis ſyncerae Religionis extiterant, uniuerſam Germaniam, in Pontificiam religionẽ retroducere conaretur, Formula

quædam religionis conflata eſt, quæ uideretur nobis aliquid largiri, perplexis & ambiguis quibuſdam locutionibus, & Pontifici tamen ſummo, quem prius pro Antichriſto declarato proclamaueramus, ſuos neruos omnes ſaluos atq; inconcuſſos retineret. Huc autem omnia ſpectarunt, ut ea ipſa formula, pedetentim ac gradatim, ut habet præfatio, intra ipſos ſinus Pōtificij agminis nos retraheret: Addidit igitur Cæſar mandata, & minas atrociſſimas, ut ſine omni tergiuerſatione, ad illam ipſam formulam, doctrinam et ritus ſuarum Eccleſiarum, ab Antichriſti ſordibus repurgatarum, quàm exactiſſimè reformarent omnium ordinum homines. Cùm autem tantummodò ad Concilij definitionem uſq;, cuius iudicio & determinationi citra ullam exceptionem plenè ſtandum eſſet, ea religionis forma durare deberet, INTERIM appellata eſt.

Hinc non tantùm Eridis pomum, in Eccleſiam Dei proiectum, ſed etiam fœcunda materia & ſeges errorum exorta eſt, quæ quidem adhuc in agro Domini à quibuſdam fouentur. Nihil hîc dicam de Apoſtatis manifeſtis, q ueluti matura poma ex arboribus decuſſa, in fauces Antichriſti illapſi ſunt, quos, iudicio Petri ſatius fuiſſet, Veritatem cœleſtem nunquam cognouiſſe. Sed inuenti ſunt plures, qui ſagaciter animaduertentes & expendentes, utraq; extrema eſſe periculoſa, nēpe uel apoſtatare,

re,uel apertè & directè confiteri:mediam quandã inter hæc duo uiam attendendam cenſuerunt, ſummo ingenio & arte,nimirum,ut fieret aliqua conciliatio religionum utrarumq; : Pontificijs,qui iam uictores eſſent,& ſtrictum gladium recenti ſanguine ſtillantem,adhuc uibrarent,aliquid de rebus noſtræ religionis concederetur, & noſtra item non omnia deſereremus,ut hocquaſi ſtratagemate,tum iratis Pontificijs aliquo modo ſatisfieret, tum uerò Deus etiam aliquid retineret, haberetq; patientiam cum oppreſſis,donec lætiori tempore,Deo iterum ſua plenius reſtituerentur. In hac Pandora exornanda, laboratum eſt à pluribus Aaronibus, diuerſis in locis,& multis deliberationibus.

Sed nolo hiſtoriam integram hoc in loco recenſere,tantùm uerò errores & paradoxa quædam, in eiuſmodi molitionibus in agrum Domini effuſa, breuibus quaſi punctis ſtringo.

Amiſſa enim doctrina multis in partibus, per Lùtherum ex uerbo Dei tràdita,iterùm hæc Papiſtica dogmata,ſunt recepta & ſcripta.

Eſſe aliquam hominis Pſychici & nondum renati,in rebus ſpiritualibus ſeu diuinis cooperationẽ.

Præcipuè nos iuſtificari fide.

De particula Sola,iam non pugnandum eſſe.

Fide & confeſſione,appræhendi iuſticiam & ſalutem coram Deo.

Iuſtificationem noſtram coram Deo, eſſe & iuſticiam imputatiuam & uiuificationem ſimul, ſeu remißionem peccatorum & nouitatem ſimul.

Bona noſtra opera, eſſe ad ſalutem neceſſaria.

Neminem ſine bonis operibus iuſtificatum eſſe.

Impoßibile eſſe ſine bonis operibus, quenquam iuſtificari.

Bona opera retinere ſalutem.

In ceremonijs, cùm reuelato per uerbum Dei Antichriſto, tempore perſecutionis, & quo tentatur retractio ſub iugum eius, poſſe fieri in rebus religionis conciliationes.

Vnctionem extremam poſſe recipi.

Quò propius Papæ eò melius.

Iurisdictionem ſupra Eccleſiã Chriſti, inconuerſis Epiſcopis Antichriſti reſtitui poſſe, & eiuſmodi alia non pauca, quæ breuitatis gratia prætereo.

Hoc ſchiſma quantum ſit, & cui ſit adſcribendum, effectus teſtantur, quos cum dolore deinceps attingam.

Secundum igitur malum in Eccleſia Dei eſt, Duratio Interimiſticorum quorundam errorum, & impœnitentia doctorum, qui illarum corruptelarum rei ſunt. Non enim tam facilè ſopiuntur eiuſmodi bella Eccleſiæ, quàm inchoantur, id quod hiſtoria omnium temporum teſtatur.

Dimicant adhuc nonnulli, de ueteri Adamo, q

is

is antequam renaſcatur à Deo per Verbum & Sacramenta, in ſe habeat aliquam in uerbo Dei rebusq; diuinis appræhenſionem, idq; alij faciunt paulò craßius, ut qui palàm aſſeuerãt, eſſe aliquam naturalis uolũtatis propagatæ à matre, antequàm renaſcatur, actionem ſeu cooperationem in rebus diuinis. Alij uerò aſtutè fugientes omnes ſcopulos, urgent hoc axioma, Omnes attentè, & ſtudioſè, & perſeueranter uerbum Dei lectitantes & audientes, conuerti. Idem enim uolunt, quod priores, & in eadem palæſtra ſunt inſtituti. Verùm leniori forma locutionis, eundem errorem inſinuant. Huc enim dirigunt uim ſuæ orationis, homines ſuo ſtudio, ſua induſtria, ſua diligentia cooperari poſſe ſpiritui ſancto, & amplecti oblatam gratiam. Sed nolo hìc perplexas, ambiguas, flexiloquas, uafras, & aſtutas locutiones perſequi.

Retinetur etiamnum iſta corruptela à nonnullis, Iuſticiam noſtram coram Deo, non tantùm eſſe imputatam iuſticiam à Chriſto, ſed etiam uiuificationem ſeu renouationem.

Nondum damnatum eſt impium dogma, ſed mẽdacijs & fucis pingitur ac ſtabilitur: Bona opera ſunt ad SALVTEM neceſſaria. Nam illi ipſi autores, ſine omni fronte ſcriptitant, ſeſe à ſyncera Dei & Lutheri doctrina, ne pilum quidem unum declinaſſe.

Manet, & ipſo uſu uiget, hoc principium, licitum eſſe, ſe quàm proximè aßimilare Papæ reuelato Antichriſto, ac poſſe ei theatrum ceremoniarum quarundam concedi. Indè *pro nullo prorſus peccato habetur, cum iuratis* Antichriſto Epiſcopis, *qui que nondùm eius characteres penitus abiecerunt, familiariter uiuere, eis palpum obtrudere, captare de ipſorum donis & bonis aliquid.*

Hiſce accedunt inſuper alij errores, qui non minus pertinaciter & ſuperbè, quàm ſuperiores adſeruntur, nempe;

Euangelium in ſpeciali & proprijßima ſignificatione, non eſſe duntaxat illam iucundam doctrinam, de gratuita remißione per Chriſtum, *fide accipienda; Sed eſſe etiam concionem pœnitentiæ,* Prorſus *autē eodem modo* Antinomi, *in ſuis propoſitionibus loquuntur, ut patet.* Non *igitur pudet, nunc poſt* Lutherum, *publicæ* Antinomiæ *patrocinari eos, qui ſe* Lutheri *diſcipulos iactitant.* Craſſa *olim* Antinomia, *ſub initium renaſcentis* Eccleſiæ Chriſti, *turbabatur populus* Dei, *nunc uerò paulò ſubtiliori, eaſdem corruptelas urgent atq; defendunt.* Ex *hac officina quidam, & iſtam uocem efflabat, ad doctrinam pœnitentiæ non eſſe neceſſarium legis miniſterium.* Verùm *repræhenſus nonnihil, buccas contraxit.*

Alij progreßi in Eccleſiam, *fundamentum* Cin-

gliani

gliani reſuſcitare & tueri nituntur. Quoſdam nempe ἀθέους, ad ſacram Synaxin accedentes, licet ad eos uerba Chriſti ſonent: Accipe, Hoc eſt corpus meum &c. tamen non corpus Chriſti, iuxta uerba Domini, ſed merum panem accipere, iuxta ſua ſomnia.

Hæc zizania, qui non uidet, in ipſa luce cæcutit, qui uerò paruificit, à pietate et timore Dei nõ parum receßit.

Tertium malum eſt: Glorioſæ reuelationis Antichriſti obliuio. Non enim urgetur neq; illuſtratur amplius hæc doctrina tanto zelo, ſicut uiuo Luthero fiebat. Nam ibi omnes catervatim, ingentibus motibus, in Papam impetum faciebant, ac ueluti in trucidatum Hectorem haſtas infigebant. Verũ Luthero extincto, multi conticuere de Antichriſto penitus. Alij ueluti in opacis ſpeluncis philoſophantes, & quaſi extra hunc mundum rapti, in dubium uocãt, ſit ne Papa proprius ac natiuus Antichriſtus, uel non? Alij non uerentur cum organis Antichriſti apertius agitare conuiuia, & prædas quaſdam, quæ ex geniculatione coram illo opulento Domino, de quo Matth. 4. dicitur, contingunt, peroportune uenari. Hæc fortè paulò expreßius erant proferenda, ſed emunctæ naris pleriq; tales eſſe ſolent, facilè odorem ſentiunt. Pauci autem caſtelli ſuperſunt, q in Eccleſia Domini, paßim graſ-

ſantem Antichriſtum, ſatis tremula uoce allatrãt, quorum uocibus portentum illud diaboli, eam ob cauſam minus territatur, quia ex Interim homines illud pulchrum axioma didicere, Quò propius Papæ, eò melius, ac poſſe cum eo, uel ſaltem in chorea ceremoniarũ circa uitula Aaronica, iunctionẽ fieri. Imò nonnulli, qui præcipuæ columnæ Eccleſiæ haberi uolũt, ueluti ex alto rident & exibilant eos, qui contra Antichriſtum paulò grauius, iuxta uerbum Dei ſcribendum eſſe exiſtimant, calcaria quoque miris artibus potentioribus ſubmouent, ut eiuſmodi clamatores contra Antichriſtum, uelu ti faces ſeditionum, in irritandis crabronibus Antichriſti, ſine omni miſericordia ex agris ſuis pellant.

Interim uerò illi ipſi, tumidiſsimè ſibi perſuadent, ac plenis buccis gloriantur, ſeſe eſſe illos eximios heroas, qui contra Papam, ſuis libris multò præclarius & fructuoſius ſcribant, quàm alter ille puſillus & imbecillis grex, qui uix pipire queat. Sed qua nam id faciunt ratione? Interdum in miſeros Monachos inuehuntur, eisq́; cappas, quod Germani dicunt, egregiè ſeſe lauare putant, quando de ipſorum erroribus & abuſibus, aliquid in medium obiter & ſtrictim protulerunt. Sed Antichriſtus multò latius imperitat, neque Soli Monachi in ſuis pediculoſiſ cucullis falſò docent, uerùm Papa

quoq;

quoq;, Epiſcopi, ſacerdotes, & reliqui eius farinæ homines, eadem delira & blaſphema dogmata tuentur & propagant.

Neceſſe igitur eſt, ſi Eccleſia Chriſti iterū rectè *purganda, & in priſtinū ſtatū reuocāda eſt, ut ala cri pectore & coniunctis uocibus atq; ſtylis, arden tius ac luculentius* Antichriſtus *oppugnetur, q̄ poſt obitū* Lutheri *aliquot annis, à pleriſq; factum eſt.*

Quartum malum Eccleſiæ eſt, Ignauia uigilum Eccleſiæ Dei, *in refutandis erroribus, hinc indè in ipſo agro* Domini *pullulātibus.* Non *eſt enim tantū à* Deo *mandatum, ut* Eccleſiæ *doctor ſit in docendo ſedulus & aſſiduus, ſed etiam ut contradicētes, ex uerbo* Dei *animoſè & uigilanter refutet, osq́; eis obſtruat, ut* Paulus *loquitur.* Verùm *hac tempe ſtate, ea peſtis inter plurimos ſæuit, ut ſomnient, ſe ſe abundè ſuo officio perfunctos eſſe, ſi plebeculam ſibi commiſſam utcunq; erudierint, & quia in eo ipſo loco non exiſtunt præſtigiatores, ideò ne nominādos quidē eos cum ſuis corruptelis cenſent, ne ſcilicet turbentur ſimpliciores.* Quaſi *uerò communis* Eccleſiæ *pernicies, ad eiuſmodi uigiles nihil pti neret?* Quaſi *ipſorum plebecula, in ſua uitiata natura nulla haberet ſemina errorum?* Quaſi *tantùm ueluti glires in antris latitarent, ac longum ſomnum ducerent, nihilq́; de corruptelis uel audirent ab alijs, uel in tot libris euulgatis, qui paßim*

omnes

omnes angulos Germaniæ perreptant, legerent?

Atqui non ſatis eſt, quòd ipſimet canes muti fiunt, latronibus & furibus publicam & communem Eccleſiam Dei *deprædantibus, uerùm & ſuo præpoſtero iudicio, catellos latrantes prægrauant, atque ad taciturnitatem adigere conantur, iſtis cauillis, quaſi uel nullum ſit* Eccleſiæ, *ſynceroq́; depoſito* Ieſu Chriſti *periculum, uel de uerbis tantùm aliquot, ſeu de lana caprina, quod dicitur, moueantur certamina, uel quòd pugnatum ſatis, iamq́; quieti ulterius ſtudendum ſit. Hæc quia plauſibiliter dicuntur, plurimorum hominum animos faſcinant & uitiant.*

Sed inſani ſunt, non ſapientes, qui tetras illas doctrinæ cœleſtis deprauationes, quas nonnulli ſine omni ceſſatione in Eccleſiã Chriſti *impreſsis libris diſpergunt, non uident, ac uerè de eis dicere poſſumus, quod* Ieremias *de ſimilibus ſui temporis doctoribus proferebat: Curant, inquit contritionem populi* Dei *cum ignominia, uociferantes, pax, pax, cùm non ſit pax.*

Neq; *uerò de rebus friuolis & ineptis, diſceptatio eſt, ſed de ſummis capitibus doctrinæ cœleſtis.* Ac *uerè poſſumus cum* Dauide *conqueri, quòd ipſum fundamentum, præſtigiatores nonnulli pelle ouilla contecti, nefariè euertant.* Multò *uerò minus grammaticale bellum eſt; quod in* Eccleſia Dei *geritur:*

ritur. Nam rebus ipſis ſaluis, de uocabulis facilima eſſet tranſactio. Satis uerò nunc clamatum, & receptui quaſi canendum eſſe, impia uox eſt, exitioſa gloriæ Dei *& ſaluti* Eccleſiæ. *Nam* Dei *ſententia & præceptum eſt, Clama, ne ceſſes. Chriſtus nequaquàm uult ſalem infatuari; Sed officium ſuum in mordēdo et uindicando à putredine uires ſuas retinere. Manifeſtum autem eſt, quoſdam non parui hominis uiros, indeſinenter errores aſſerere, ſcribere, edere,* Eccleſiamq; *uniuerſam in ſuam ſententiam pellicere. Perinde igitur faciunt iſti homines, ac ſi patribusfamilias occinerent, ſatis eſſe caſtigatos liberos, ſi iam aliquoties ferula uſi ſint, nunc in poſterum eam eſſe abijciendam, licet in malitia ſubinde pergant liberi. Hac quidem in parte honeſti* Patresfamilias, *ineptam ſapientiam talis doctoris, facilè agnoſcerent & irriderent, uerùm in rebus diuinis atq;* Eccleſiæ Dei, *ea ſtultitia, pro ſumma & ſalutari ſapientia, ferè ubiq; in admiratione eſt.* Quomodo *igitur grex* Domini *in tuto erit, ſi paſtores tali otio ſeſe dederint, ut lupos irruentes in ouile, aut iam lacerantes miſeras ouiculas, amplius inclamare noluerint?*

Sed obijcere ſolent quidam illud Pauli, *Si inuicèm momorderitis, uidete, ne à uobis mutuo conſumamini. Verùm* Paulus *non neceſſarias lacerationes, rectè prohibet, ipſos ueros errores, eorumq;*

doctores

doctoees & profeſſores, iuxta uerbum Dei *inclamare ac refellere, neceſſarium, iuſtum, & ſalutare officium miniſtri uerbi* Dei *eſt, quod abſque læſione gloriæ* Dei*, & iactura cœleſtis ueritatis, iuxta ipſius* Pauli *præceptum, intermitti non debet.*

Quintum Eccleſiæ Dei *malum eſt, flexiloquæ docentium locutiones. Cùm enim uiri eruditione, ingeniorum acumine, & exiſtimatione præſtantes, errores effuderunt, ac uident ſeſe luce ac potentia* Verbi *diuini, ita conſtringi, ut falſas ſuas ſententias, ſine probro defendere nequeant, mox eiuſmodi ambiguas & perplexas orationes, mirabili artificio & ſtructura comminiſcuntur, ut ueritatis aſſertoribus uideantur ad ueritatem acceßiſſe, econtrà præſtigiatòribus, nihil de ipſorum neruis incidiſſe uideantur.* Hoc *odioſum genus hominum, anguillis & ſerpentibus comparari ſolet, neq; id iniuria.*

Ad hunc modum pernegant noſtræ ætatis Pela*giani, ſeſe liberum arbitrium adſerere, plenoq; ore aſſeuerant, hominem naturalem nihil,* SINE *ſpiritu ſancto poſſe. Opus redemptionis, regenerationis, ſalutis, tantùm eſſe* Deo *adſcribendum, non uiribus humanis ullis.*

Verùm iſti impoſtores, primam propoſitionem intelligunt hoc pacto, quòd non ſoli uoluntati humanæ tribuenda ſit ea uis, quod ex ſe omnino, pri-

uſquàm regeneretur uerbo Dei, *poßit aſſentiri, ſed ſpiritui ſancto partim, & uolũtati naturali, nondũ renatæ, etiam partim hoc imputãdum eſſe.* In *ſecunda uerò propoſitione, illud* SINE, *dilatare uel cõtrahere pro arbitrio norunt.* Nam *quoties cõſtringuntur paulò arctius, uoculam* SINE *interpretantur, quod uoluntati hominis, ſicut ex matre creata eſt, tamen relinquant aliquem naturalem in rebus diuinis aſſenſum.* Poſtremam *hypotheſin, accipiunt de cauſa efficiente & collatione, uerùm de appræhenſione affirmant, uoluntatem non renatam, poſſe aliquem nutum ſeu aſſenſum præbere.* Eiuſmodi *autem ſpectris, iam ludificantur homines, qui & poterant & debebant planius loqui.*

Sic recentes Sacramentarij *aiunt, ſe nequaquam docere, nuda tantùm ſigna in cœna ſacra offerri, ſed potius ſentire ac profiteri,* Chriſtum *reuera adeſſe huic ſuæ cœnæ, ſuumq́; corpus ac ſanguinem ibi elargiri, non fictitium quidem, ſed uerum.* Rudiores *iſta legentes, ac non inueſtigantes reliqua, quibus ſeſe euoluunt, iterum latiusq́; aperiunt* Sacramentarij, *uictoriam proclamant ac trophæa ſtatuunt, ſublatam enim eſſe omnem cum* Sacramentarijs *concertandi materiam.* Sed *uerba ipſa adornata ſunt tali ſtratagemate, ut pro libitu eis uti queant.* Subeſt *enim id*

fraudis,

fraudis, quòd iſta omnia ſpeciem ueritatis præſe ferentia, hoc tantum uolunt, efficaciam, uim ſeu fructum carnis & ſanguinis Chriſti, *utentibus pane & uino, in* Cœna *inſtillari, licet caro & ſanguis per ſe in cœlo maneant, neq; amplius in terram ueniant, ante nouiſsimum diem, Sic ſcilicet:*

Fiſtula dulce canit, uolucrē dum decipit auceps.

Explodēda igitur ſunt ex Eccleſia Chriſti, *tam fraudulenta ſpectra orationum, quæ à uiris bonis, nedum pijs, ad fallendum imperitiores, minimè decet proponi.* Nam Dei *beneficio planis, rotundis & dilucidis uerbis, ueritatē à* Deo *patefactam exprimere licet, atq; omnino etiam timentibus* Deum, *id facilè eſt præſtare.*

Sextum Eccleſiæ Dei *malum eſt, intempeſtiua & pernicioſa* Philoſophiæ *cum* Theologia *permixtio.* Mox *autem his auditis, improbi & maledici homines, uehementiſsimis clamoribus rudunt:* Integram *philoſophiam, ſine qua ne homines quidem eſſe poſſumus, taxari, lacerari, deſtrui, explodi.* Re*uehi barbariem extremam in haſce regiones, iuuētutem ſatis alioqui petulantem, omnia philoſophiæ ſtudia, pedibus iam contumelioſiſsimè conculcaturam eſſe.* Verùm *ſi amentes illi homines, omiſſo ſuo ruditu, paucula ſaltem uerba, ſedatis animis audirent, omni ſuo metu liberari poſſent.*

Philoſophiæ *ſobriæ ſobria ſtudia, qui crimina*

tur,

tur, eum impijßimè facere, ipſimet fatemur ultrò, imò iudicamus, philoſophiam omnium facultatum, quarum eſt inſignis in uniuerſa uita humana uſus, eſſe miniſtram ualde neceſſariam & utilem. Maneat igitur per ſe, & in ſuo regno, terminisq́; proprijs, ornatißima philoſophia.

Sed ne eius res ſeu dogmata, cum articulis fidei, cumq́; rebus diuinis confundantur, id uerò monendum, repetendum, & inculcandum eſt publicè priuatimq́;, omni diligentia & cura. Cauſæ euidentißimæ ſunt, primū, quia articuli fidei, nō ſunt noti philoſophiæ, uerùm peculiariter à Deo *generi humano reuelati ſunt, ac iure optimo uocantur ſapientia* Dei. *Deinde, quia confuſio philoſophiæ cum* Theologia, *non ueritatem, ſed mendacium gignit, non illuſtrat gloriam* Dei, *ſed obſcurat, non adfert ſalutem hominibus, ſed exitium æternum parit.* Non *mouebatur* Paulus, *uel cachinnis, uel inuidioſis clamoribus philoſophorum, uel* Athenienſium, *uel aliorum in toto orbe exiſtentium, quò minus ſcriberet ad* Coloſſenſes: *Videte ne quis uos* DEPRAEDETVR *per philoſophiam.* Non *ſtruant igitur uociferatores philoſophici, calumniam rectè monentibus.* Non *enim totum aboletur, ubi abuſus alicuius rei, modeſtè & diſtinctè uituperatur.*

Sed ipſum ius aliqui, præſertim eiuſmodi declaratione nonnihil placati, admittunt, factum autem

pernegant. Neq; *uerò noſtri inſtituti eſt, copioſè in hac narratione explicare, à quibus & quot in rebus id fiat, quia res manifeſtiſsima eſt, exempli tantùm gratia, unum aut alterum exemplum commonſtrabimus.*

Error Pelagianorum, *de cooperatione uoluntatis* Adamicæ *nondumq́; regeneratæ, tantùm ex philoſophia naſcitur, quæ ſapientiam ſuam tali ſupercilio effundit, diſtingui oportere inter res brutas ac rationales.* Deinde, *hoc eſſe naturale donum uoluntatis, ut res obiectas uelit ſeu repudiet, & nihil abſurdius uideri, quàm aſſeuerare, ſanam hominis uoluntatem, in rebus diuinis prorſus nihil agere poſſe, niſi peculiare nouum, ac ſpirituale* Velle, *ei per* Verbum & *Sacramenta* Dei *donatum fuerit.* Ideo *quidam magnificus, ſic impreſſo libro pro autoritate, tubali uoce intonat: ſicut homo ſuis naturalibus uiribus attendendo intelligit, diſcit, percipit, decem eſſe prædicamenta, & aliud eſſe ſubſtantiam, aliud eſſe accidens, ita etiam attendendo, articulos fidei intelligere, diſcere, percipere poteſt. Sed* Verbum Dei *ex aduerſò pronunciat:* Homo *animalis non intelligit, nec poteſt accipere, quæ ſunt* Dei, 1. Cor. 2.

Sic philoſophia dictat hoc principium, Iuſticiam *eſſe obedientiã erga* Leges. Inſulſiſsimum *igitur eſſe clamat, tribuere alicui iuſticiã, qui omni uirtu*

te

te & bonitate uacet. Inde ſcaturit illud dogma quorundam, Iuſticiam noſtrã coram Deo, non eſſe meram imputationẽ iuſticiæ alienæ, nempe Chriſti, ſed eſſe bona opera quoque neceſſaria ad ſalutem, renouationemq; hominis ſimul ad eam ipſam formam eius iuſticiæ, nos coram Deo iuſtificantis, pertinere. Prout autem homines calliditate & ingenio ualent, ita uel craſſius, uel ſubtilius iſta proferunt.

Sacramentariorum dogma, hoc principio philoſophico potiſſimum inſiſtit: Vnicum corpus naturale, finitum, ſimul & ſemel diuerſis locis exiſtere non poſſe. Sed ueritati filij Dei, & eius omnipotentiæ, fides Chriſtiana potius, quàm principijs philoſophicis, quæ alioqui ſuum habent locum, inniti debebat.

Poſtea uerò, ad eiuſmodi fundamenta, quædam ſcripturæ dicta, ſumma ui & arte detorquere moliuntur, ut ita errores, ſub fuco quodam uenditentur.

Sic philoſophia dictat, Ex duobus malis, eſſe minimum deligendum, quando utraque caueri nequeunt: Poſtea applicatur ad res Eccleſiæ, Satius eſſe Antichriſto perſequente, in eius ceremonias conſentire, & conformitatem quandam cum ipſo recipere, quàm amittere omnes facultates, Peritura enim eſſet omnis Eccleſia CHRISTI, ſi

mordicus confeßio ueræ doctrinæ, & damnatio Antichriſti, retineretur. Sed uerbum Dei aliter *iudicat, iubens, ex ſeuerißimo* Dei *mandato, exire ab* Antichriſto *reuelato, ac ne minimam quidem eius notam recipere, confeßionem infracto animo præſtare, qua quidem, tantum abeſt ut intereat* Eccleſia Chriſti, *ut potius ea creſcat & floreat.* Non enim ceßione, *ſed forti confeßione, fieri martyres.* Chriſtus *inquit, eos non ſe dignos eſſe, qui crucem cum aliqua iactura confeßionis detrectant.*

Philoſophia *occinit, rebus in dogmatis religionis turbatis,* Amniſtian *eſſe ſanciendam & urgendam, publicæ tranquillitatis cauſa.* Sic *poſtea in controuerſijs religionis mandatur ſeueriſsime, ut corruptelas & earum autores atq; defenſores, nemo carpat aut refutet; ſcilicet ut qeti* Eccleſiæ *conſulatur.* Non *autem hic expenditur, quod corruptelæ adhuc ob oculos poſitæ ſint, quod multi eas pertinaciter defendant & pingant, quod lux ueritatis diuinæ obfuſcetur, quod animæ plurimarum ouicularum* Chriſti, *ſorbeant mortifera uenena, quod libri, errores illos ad poſteritatem quoq; perferentes, extent, & plures ſubinde in agrum* Domini *emittantur.* Verum Deus *eſt, qui præcipit,* Contradicentes *conuince, & os eis obſtrue,* Clama, *ne ceſſes.* Donec *igitur errores illi, damnum in* Eccleſia Dei *dant, & donec autores uel aduocati errorum*

& præſtigiarum, pergunt ſuperſtitioſè & effreni lingua, in libris ſuis corruptelas, uel ſuas uel aliorum ornare & propagare, contrà eſt alacri uoce clamandum, quàm diu quidē collum halitus afflat, & lingua ſeſe mouere poteſt. Taceant uerò illi, qui cū in paſtoris officium collocati ſunt, poſſunt patientibus oculis intueri, quomodo lupi miſeras ouiculas crudeliſsimè diripiant ac diglutiant, & quomodo ſponſa Chriſti cum Diabolo ſcortetur. Nam falſa dogmata nō ſunt à Deo, ſed à Diabolo, patre omnium mendaciorum.

Tollendæ igitur erant corruptelæ cœleſtis doctrinæ prius, poſtea uerò ſilentium, iuſtiſsima conſequentia locum ſuum haberet.

Huc illud quoq; referendum eſt, quòd tractationi ſacrarum rerum, plus æquo philoſophicæ ſententiæ miſcentur. Ac perſuaſio iſta iam uulgaris eſt, eum eruditum non eſſe, neq; aliquid cognitione dignum ſcribere, qui uel non poſsit, uel nolit etiam creberrimis uti ethnicorum ſententijs ac dictis. Inde hoc mali inundat, quòd plures gentiles ſententiæ, quàm ex uerbo Dei prolatæ, in quorūdam ſcriptis non rarò emicent. Iuuentus eo faſcino dementata, exiſtimat ſibi quoq; accuratius, ethnicorum dicta ediſcenda eſſe, quàm quæ in ſacris literis tradita ſunt, quæ quidem multo horridiora ethnicis illis apparent. Quid? quòd aliqui in ſuggeſtum quo-

que,eam κακοζηλίαν *adferunt,atque concionem habituri ad rudem plebeculã,in ciuitatibus,in oppidis,in pagis quoq;,ſubinde citẽt aliquas gnomas, aut uerſus ex* Pindaro, *ex* Euripide, *ex* Sophocle, *ex* Homero *Græcos,uel ex* Terentio, Cicerone *&* *alijs,*Latinos.Audiui *eiuſmodi præconem aliquando,de coniugio ad populum lingua uernacula declamantem, in unica concione plus quàm uiginti carmina ex* Ouidio *de arte amandi proferentem, idq́; ſibi ad opinionem eruditionis profuturum, ſtolidè credebat.*

Stomachamur Antichriſto,*qui ſuperioribus ſeculis* Ariſtotelem *in ſacroſanctam* Theologiam *ſceleratè infudit,ita ut in ſuggeſtis,tanquam* Euangeliſta *quiſpiam* Quintus, *ſonaret atq; autoritatem obtineret.*Verùm *reipſa iſti philoſophi,eaſdem tenebras per ſuas ethnicas luces, in res diuinas effundunt.* Etſi *enim dicta* Moralia, *interdum non ineptè citantur ex* Ethnicis, *ut planum fiat, quidnam de uirtutibus ſeu uitijs, ſapientes uiri ſcripſerint, tamen non debebant ea principalem habere locum, & modus quidam adhibendus erat.* Vtinam *uerò iuuenes ac ſenes, elegantiſsimas ſententias uerbo* Dei *traditas, illuſtrarent, addiſcerent, ſibiqúe quotidiano uſu familiares efficerent.*Nam *certiſsimum eſt, extare in* Sacris *literis pulcherrimas, de omnibus uirtutibus & actionibus*

ſententias.

ſententias: Ethnicas uerò collationis gratia uſurpare, licitum ſanè eſſet.

Septimum malum, in Eccleſia Dei nimis latè uagans, & dominium acquirens, eſt πρoσωπολατρεία, ut ſic nominem. Nam uiri, eruditione ac donis excellentes, immodicè incipiunt coli, ueluti Idola quædam, tali ratione, ut tribuatur aliquibus perfectio ſcientiæ & uirtutum, quaſi non errauerint uel in dogmatibus, uel in actionibus, imò ut cenſeatur, etiam ipſorum exorbitationes, nocentes Eccleſiæ Dei, ob ſingularem eruditionem, præſtantiam donorum, & bene merita de publicis priuatisqúe rebus, non eſſe, quantumuis modeſtè & iuxta Verbum Dei, redarguendas, ſed diſsimulandas potius, tegendas, condonandas. Oderunt igitur eius generis homines, atque inſectantur immaniſsimè omnes illos, qui in claris uiris quæ laudanda ſunt, laudant, & uel corruptelas, uel ſcandaloſa facta ipſorum, quantumuis uerècundè reprehendunt, & fugienda eſſe monent.

Incuſamus Papiſtas, & rectè quidem, uni Pontifici Romano, tantum autoritatis adſcribentes, quòd errare nequeat, quòd omnia ipſius decreta, pro meris oraculis adoranda ſint, quòd nemini fas ſit eum reprehendere, etiamſi innumeras

animas orco traderet. Quid uerò aliud iam agunt, qui errores quoſdam celebriū uirorum excuſant, pingūt, ornāt, atq; eos publicæ ueritatis & ſalutis hoſtes proclamant, qui corruptelas quaſdam ipſorum manifeſtas & publicas, monēt, cum uerbo Dei *non conuenire?*

Sacræ literæ, quarum iure optimo præcipua eſt autoritas, memoriæ & poſteritati mādarunt, ſummorum in hoc mundo Sanctorū lapſus, errata, idolatrias, et alia tetra facta, ut Adæ, Noah, Loth, Da*uidis, Salomonis,* Petri, *& aliorum, idq; non eo conſilio, ut tantis luminibus orbis terrarum inſultaretur, uel debita eis laus eriperetur, ſed ut infirmitatem humanæ carnis in ipſis, in* Deo *uerò immenſam & gratuitam* Dei *erga ipſos miſericordiam & clementiam, uniuerſa* Eccleſia Dei *cognoſceret & cōſideraret.*

Sic hodie autoritas hominum, maieſtati ipſius Dei, *uerba hominum, eloquijs diuinis, laus hominum, gloriæ* Dei *meritò debebat poſtponi.* Rectè *dicta & facta hominum præclarorum, ſua merentur encomia.* Imbecillitates *quoq; non lædentes gloriam* Dei, *ædificationem* Eccleſiæ, *ſalutem animarū, tolerandæ, & non ad uiuum quod dicitur ſecandæ ſunt: ſed errores, pugnantes cum capitibus doctrinæ cœlitùs patefactæ, & facta* Eccleſiam Dei *ſcandaliſantia, approbari aut diſſimulari non debent,*

ſiue

ſiue indignetur Aaron, ſiue Petrus, qui longè excellentiores fuerunt ijs, qui poſterioribus ſeculis ſubſecuti ſunt.

Obtendunt autem quidam, gratitudinem ſuam religioſam erga præceptores, qua de cauſa nolunt admittere, ut errores ipſorum alijs nocentes, indicentur & refellantur. Sed reuera ingrati ſunt ſuis benefactoribus, quia uicia & peccata defendunt, non aliter, ac ſi uituli Aaronis, aut adulterij Dauidis, patrocinium ſuſciperent. Qualem uerò Ieſu Chriſto putant ſe debere gratiam, qui & doctrinã ſuam ex cœlis protulit, & ſanguine ſuo precioſiſſimo nos liberauit, cui hoc præcepto obſtricti ſumus, Hunc audite, alienas uoces nolite audire, &c. Reuera igitur iſti, in rebus malis tuendis gratitudinem prætexentes, communicant peccatis alienis, contra unicum præceptorem Chriſtum, & calcariam, quod dicitur, uitantes, incidunt in carbonariam.

Octauum malum in Eccleſiam Dei emanans, ac dignum lachrymis & querelis eſt, Vitiatio multarum magnarum & paruarum ſcholarum, miſeræq́ iuuentutis uirulenta infectio. Nam iſti proſopolatræ, imperitæ iuuentuti duo exitioſa mala inſtillãt. Primum quidem, ſemina errorum, Deinde acerbũ in rectè ſentientes & docentes odium, priuſquam rem ſeu doctrinam ipſam addiſcãt, aut per ætatem dijudicare queant. Nam qui præceptorum officium

 gerunt,

gerunt, ſummorum hominum errores, pugnantes cum uerbo Dei, *ſuis quibuſdam gloſsis excuſant, & commodiſsimè interpretari ſtudent.* Hac uia in cor*da puſillorum, uberrima materia ex qua, errorum plurimorum inſeritur.* Nam *quod à teneris quaſi unguiculis, profundè ſibi impreſſum eſt, id ad ſtudia altiora, ad conditiones, & gubernationes* Eccleſiarum *& rerumpub. afferunt, pluraq; inde parùm conuenientia producunt.* Error *enim fœcundiſsimus eſt, id quod omnium temporum hiſtoriæ docent.*

Nonum *malum inde ſcaturiens eſt, effrenis & inaudita petulantia & maledicentia, ſtolidæ & imperitæ iuuentutis.* Nam *ſic imbuta à* Proſopo*latris iuuentus, temerè furit, ac non tantùm dira conuicia euomit in pios* Eccleſiæ *doctores, improbantes ex uerbo* Dei *perſpicuo,* Aaronicos *illos errores, ſed fœda, obſcœna, crudelia, impia, & ſcelerata ſcripta, paſquillos & picturas effundit: certat inter ſeſe impudentiſsimis mendacijs confingendis, qualia* Diabolos *propemodum ipſos puderet, ex* Acheronte *proferre.* Imò *quo quis in hoc facinore portentoſius mentitur, & rabioſius contra reprehenſiones errorũ inſanit, eò gratior ſuis præceptoribus. exiſtit, et ad maiores honores atq; cõditiones euehitur, ut qui dignus ſit tantis ſpeciminibus exhibitis,* Eccleſiæ *aut ſcholis præfici.* Nam *tales,*

les,creduntur autoritatem præceptorum & præcipuæ ſedis conſeruare:

At ſi quæras de eiuſmodi zeloſis aut potius rabioſis hominibus,legerintne eorum,quibus tam licenter maledicunt,ſcripta, norint ne eorum errores,ex libris ipſorum liquido demonſtrare,pari inſania reſpondent,ſeſe ne dignari quidem inſpectione talium hominum libellos, nolle ſe temporis pretioſi iacturam ea in re facere, Satis ſuperq́; ſibi eſſe,quòd ſuorum præceptorum,ſeu ducum cenſuras ſequātur,cum hiſce uiuere ſe & mori uelle.Si quis porrò obijciat, Dominum dixiſſe,de unoquoque ocioſo uerbo reddendam eſſe rationem, exibilant eam comminationem, ac ſe Deo gratiſſimum cultum præſtare iactitant, quòd diſſentientes à ſuis præceptoribus, omni genere probrorum conſpuūt & deformant.

Quantam uerò cladem, iſta dira lues allatura ſit Eccleſiæ Chriſti, poſteritas ſentiet.Nam initia, quæ omnes pij hodie experiuntur, ſupra omnem modum ſunt amara. Penetrabunt autem in aulas, in Politias, in Oeconomias eiuſmodi homines, & quiduis ſibi fingendi & effutiendi de ſynceris doctoribus,licentiam ſument.

Vtinam autem illi,qui paruulos tantopere ſcandaliſant,ſeriò aliquando expenderent,hanc grauē Chriſti orationem, quæ Matthæi 18: extat: Væ

homini

homini per quem uenit ſcandalum. Item. *Qui ſcandaliſauerit unum de puſillis iſtis, expediret ei, ut ſuſpenſa mola aſinaria de collo eius, demergeretur in profundum maris.* Omnia *enim iſta imperitæ & ſtolidæ iuuentutis peccata, ab illis ductoribus atque inſtigatoribus proueniunt, & in ipſos redundabunt.*

Decimum malum, Eccleſiam *Chriſti duriter premens eſt, quòd typographiæ omnes quàm latiſsimẽ patent illis, qui non erubeſcũt falſas doctrinas, poſt tot commonefactiones & obteſtationes, tueri & profiteri, diriſq; conuicijs in probos ac fideles* Dei *ſeruos inuehi. Conniuent inſuper egregiè illi, qui titillantur iſta aſſentatione & petulantia, ut iuuentus incitata à maioribus, quodlibet genus ſcurrilitatum, maledictorum, & mendaciorum typis, non facta mentione autoris, emittat.* Hanc *enim ultionẽ iuſtè putant ſeſe, de ijs, qui ſuis erroribus aduerſantur, ſumere, ut quod ipſi non audent palàm agere, per inſanam iuuentutem ueluti ſicarios quoſdam, nomine ſuppreſſo perficiant.* Eſt *tamen in cœlis, qui uidet iſta* Deus, *& aliquãdo cauſam exquiret, cur iſta facta ſint?*

Ex *aduerſo autem ijs, qui errores ingruentes, & lucem* Euangelij *reuelati obumbrantes, ex uerbo* Dei, *excitante & regente ſpiritu ſancto, uel modeſtiſsimè indicare, aut contra iniquas calumnias,*

Apologias opponere ſtudet, præla arctiſſimè occluduntur. Nam territant iſti quos dixi Pontifices, etiam eos ſuis fulminibus, ne quiſquam contra ſe, ſuaue dogmata patiantur in ſuis officinis imprimi, in quos prorſus nihil poteſtatis habent. Hac ratione ſoli regnant; ſoli triumphant, & tranquillam SEDEM ſibi parant.

An uero Deus, qui ob confeſſionem ac propagationem ueritatis ſuæ, & refutationem errorum, typographicam artem uel inprimis oſtendit & aperuit, iſtam tam enormem iniuriam, ſit æquo animo laturus, res ipſa liquidò oſtendet ſuo tempore.

Vndecimum Eccleſiæ malum, eſt diſciplinæ Eccleſiaſticæ laxatio. Nam clauis ſoluens, tantùm in uſu quotidiano eſt, ligans uerò clauis, prorſus ſitu & rubigine abſumitur. Pugnant politici manibus pedibusq́; nequaquam eam clauem uſurpandam eſſe, hoc præſertim modo, ut notorij, ſcandaloſi, & impœnitentes peccatores, Eccleſiæ Chriſti publicè indicentur, & pro publicanis ac ethnicis habeantur, donec pœnitentiam agere diſcant, ne uidelicet Papatus, ut dictitant, reſtauretur. Iſte ſcilicet eſt profectus Euangelicorum hominum. Tam probè didicerunt, qualeſnam Eccleſiæ claues Chriſtus commendauerit. Conſtat autem non tantùm aperiendi, ſed & claudendi clauem, ſuæ matrifamilias Chriſtum commiſiſſe.

Quis

Quis enim in qualibet exigua Oeconomia, *talem matremfamilias probauerit, quæ tantùm aperiendi & profundendi omnia, nihil uerò penitus recludendi, nemínemq́; à theſauris domus arcendi ſtudium habeat?* Verùm *in rebus ipſius* Dei, *impunè ſeſe delirare poſſe credunt.* Abuſum *enim cum uero, legitimo & ſalutari uſu, pariter impiè tollunt.* Ipſi *autem* Paſtores*, quibus utriuſque clauis adminiſtratio demandata eſt, moleſtias & pericula reformidantes, quæ afferre ſolet legitimus clauis ligantis uſus, potentum tyrannidi ſponte ſua morem gerunt, ſuæq́; tranquillitati conſulunt, tantùm in libris clauem ligantem relinquentes.* De hac Oeconomia *ipſe* Dominus *aliquando rationem poſtulaturus eſt, nec excuſabunt uereor iniquitas temporum, crudelitates tyrannorum, mala aliorum exempla, pericula, aut alia eiuſmodi.* Creſcunt *enim interea, neruo ſalutaris diſciplinæ in* Eccleſia *ſucciſo, tetra ſcandala, & publicæ calamitates.*

Blaſphemare *ueritatem, ignominia afficere miniſtros uerbi* Dei, *rapere* Eccleſiaſtica *bona, ſcortari, inebriari, rapere, uſuras exercere, homicidia, aliaq́; eius generis innumera peccata, eò magis inualeſcunt quotidie, quia libertatem creſcendi habent, perinde ac ſi colonus omnes carduos aliaq́; zizania, patiatur copioſa ſemina proferre,*

rè,ac totum agrum occupare.Imò pijs ſeruis Ieſu Chriſti,propemodum integrum non eſt, de his tantis malis paulò grauius & crebrius, publicè queri & proteſtari. Nam filij huius ſeculi quiritantur,ſeſe diffamari,conſcientias ſibi turbari,etiamſi nomen ipſorum prolatum non ſit. Quid uerò eiuſmodi rerum ſtatus portendat, minimè dubium eſt,ſi quis Prophetarum ſcripta & hiſtoriam mundi,uel obiter ſaltem inſpiciat.

Duodecimum malum, Eccleſiam perdens eſt, quòd nullæ piæ & legitimæ Synodi obſeruantur, in quibus uero & legitimo iudicio rectè ſentientium ex uerbo Dei, citra omnem proſopolepſian,exorti & ſine omni fine ſuppullulantes errores,iudicarentur & extirparentur. Nihil autem de Romani Antichriſti, uerùm de Eccleſiæ Synodis,quæ uerbum Dei repurgatum amplexa eſt, & confeßionem Auguſtæ Imperio Romano exhibitam,retinet,hîc agitur.

Coeunt Apoſtoli Ieroſolymis, ac definiunt,damnandum eſſe errorẽ Pſeudoapoſtolorum,Bona opera ad ſalutẽ eſſe neceſſaria. Gratis enim omnes gentes,fide in Chriſtum coram Deo iuſtificari. Et poſtea iuxta hoc laudabile exemplũ, conuẽtus doctorum ſæpius inſtituti ſunt, q̃ peſtilẽtißimas hæreſes, luce ac uirtute uerbi diuini dißiparũt,ac cœleſtẽ ueritatẽ à præſtigijs uindicarũt, cõdiderũt ſymbola,

&

& ad poſteritatem quoque ſalutarem doctrinam propagarunt.

Iacet autem hodie miſera Chriſti Eccleſia, ſupplex ante pedes quorundam præcipuorum uirorum, orat, ut ſuos errores agnoſcant & aboleant: Deuoluit ſeſe ad genua potentum quoq;, obſecrãs, ut piam ſynodum, & legitimum iudicium, conuocatis ex tota Eccleſia uiris, doctrina & fide præſtantibus, inſtituant, præſenteſq; errores, qui libris impreßis ſingularibus fucis in Eccleſiam Chriſti diſperguntur, iuxta normam uerbi diuini, ſine inuidia, ſine proſopolepſia cognoſcant, dijudicent, è medio tollant, & dulcem ac ſalutarem Eccleſiæ unionem reſtituant.

Sed proh dolor idem iſtis querelis & obteſtationibus, Eccleſia ſqualida & ærumnoſa proficit et impetrat, quod querulus ille Lazarus ante diuitis ianuam. Imò altis ſupercilijs ſalſè ridentur & exibilantur, ac pro turbatoribus communis pacis, & hoſtibus patriæ traducuntur omnes, qui talia paulò inſtantius efflagitãt. Nec deſunt, qui cùm ſeruos Dei ſe perhiberi uelint, ſummis uiribus eiuſmodi conuentus diſſuadeant, quia metuendum ſit, ne maiores diſtractiones inde generentur. Citant Nazianzeni dictum, qui ſcripſit, ſeſe nullius Synodi exitum uidiſſe bonum. Semper enim maiores dißipationes eſſe ſubſecutas. Nimirum, quod hic particu-

lariter,

lariter, de infelici ſucceſſu aliquot ſuæ ætatis ſynodorum, queſtus eſt, id ipſi uniuerſaliter, de omnibus pronunciãt. Sed *manifeſtum eſt, ſynodi* Hieroſo*lymitanæ,* Nicen*æ, & aliarum, præclarum & ſaluberrimum fuiſſe euentum. Succeſſus autem uitioſus inde eſt, quòd ſynodi, non iuxta normam diuini uerbi, ſed iuxta arbitrium potentum, aut affectus hominum gubernantur, & excluduntur ſerij, graues, conſtantes, ſynceri doctores.*

Donec *igitur ſynodi uel impediuntur uel differuntur, uaria zizania augmenta ſumunt & dominantur.* Refutationes *quantumuis ſolidæ, flocci fiunt.* Plurimi *iſtis erroribus ſuffocati, intereunt, ac iuuentus iſta contagia ad poſteritatem perfert.*

Decimum tertium malum, *ex hiſce omnibus conflatum & natum, iamq; deſtruens* Chriſti *uineam, eſt* Cæſareopapatus, *ut rectiſsimè appellat* Luther*us.* Nam *ſicuti ſuperioribus ſeculis,* Papa Roma*nus* Antichriſti *partes egit in eo, quòd non contentus limitibus* Eccleſiaſticæ *gubernationis, improbè & nefariè arripuit ſibi politicam dominationem, arrogauit ſibi regna huius mundi, ut* Matth. 4. *depictum eſt,* Cæſaribus *diademata pro arbitrio impoſuit uel depoſuit.* Dictauit *politijs ſuas leges.* Cruenta *bella aduerſum ſuos hoſtes geſsit.* Colla Im*peratorum calcauit,* Ipſos Monarchas, *turpi ſubiectione, ſordidos ſuos calceos oſculari uoluit.* Ita ho

die nonnulli Politici Domini, *recuperata ſua digꝫnitate, beneficio illuſtrati* Euangelij, *ac liberati à* Pontificis Romani *fœdo iugo, uiciſsim ſuis terminis excedentes, ſuperbè pedem alterum in* Eccleſiam *collocant, eamq́; pro ſuo arbitrio regere, atq; miniſtros uerbi diuini, non tantum oſculatores, ſed mera ſcabella ſuorum pedum eſſe uolunt.*

Nam politici nonnulli, cum ſuis Achitophelibus, Religionum *formulas ſeu cothurnos gignunt,* Articulos *doctrinæ cudunt, eosq; poſtea cum* Imperio *& armatis minis, doctoribus ærumnoſæ* Eccleſiæ Chriſti *obtrudunt, ut citra omnem contradictionem amplectantur:*

Mandata affigunt atq; exhibent, quibus præſcribitur, quomodo & quatenus miniſtri uerbi Dei *errores, & peccata repræhēdere debeant, nempe, ut errores graſſantes non refutent, falſos doctores non indicent, nec moneant, eos cauendos eſſe.* Peccata *hominum quantumuis in hoc mundi fine atrocia, tantùm* IN GENERE *ſtringant, ne quis animaduertere queat, ſe peti, ſibi ſcilicet agēdum eſſe pœnitentiam.* Neminem *eſſe excommunicandam, niſi de ſentētia politicorum.* Nemini *eſſe denegandū uſum* Sacramentorum, *niſi ex arbitrio aularum uel curialium, quæcunq; tandem illa cauſa ſit.*

Quemadmodum autem Papa, *excommunicationis fulmen ſuæ tyrannidi adhibuit, ita illi politici,*

tici, ſuas minas de expulſionibus, de carceribus, de gladijs, audaciſſimè ſubijciũt: Sic igitur exurgit, & indies incrementa ſumit Cæſareopapatus, & uerſa uice, Eccleſiaſticus Antichriſtus, in politicũ degenerat, neq; erit talium cothurnorum & edictorum modus aut finis ullus, donec Nouiſſimum iudicium adueniat.

Sed prætendunt politici, ſeſe eſſe cuſtodes legis diuinæ, & capita Eccleſiæ in terris militantis. Verum quidẽ eſt, Magiſtratus quoq; eſſe membra Eccleſiæ Dei, ſi credant in Chriſtũ. Verum & hoc eſt, pertinere ad ipſorum officium, ut falſa dogmata & idolomanias prohibeãt, Eccleſiãq; Dei, ut in Eſaia ſuauiſſimè dicitur, nutriãt. Sed non habent poteſtatẽ, quicquam contra Dei uoluntatẽ aut uerbũ eius ſtatuendi aut exigẽdi, ac ſunt diſtinctæ poteſtates & officia, Eccleſiæ & politiæ, quæ nõ ſunt cõfundẽdæ. Et regula nota eſt, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Cothurni aũt illi & edicta, de quibus dixi, ſunt contra Dei uerbum, ſunt pernicioſa Eccleſiæ Dei, eãq; ob cauſam Deus eiuſmodi Dominos, et cõſultores puniet, niſi Deo eiuſq; miniſterio, quod ſuũ eſt reliquerint, pœnitẽtiamq; ſuæ temeritatis egerint:

Decimum quartum malum, ex prioribus profluens eſt, odium & profligatio ſeriorũ, grauium & ſalutarium uerbi Dei doctorum ac profeſſorum,

& ſubſtitutio atq; copioſius numerus, Molligradorum ac placentia dicentium. Traducuntur ſynceri & fideles uerbi Dei miniſtri, odioſiſsimis titulis, horridorum ſtoicorum, intractabilium, ſeditioſorum, turbulentorum hominum. Muti uerò canes & palpatores, ornantur Encomio pulcherrimo, pacificorum, placidorum, ſalutarium doctorum. Hinc nullus pudor eſt ijs, qui iactitant præ alijs incorruptæ doctrinæ conſeruationem, & confeßionē eius uſq; ad extremum uitæ halitum, pro ſuo libitu, & pro inſtigationibus ſuorū Achitophelių, inculpatæ doctrinæ uiros, & uigili uoce inclamātes paßim ingruentes & dominantes errores, excutere, eosq; inquietorum titulis, ac mendacijs quoq; impudentißimis deformare, perinde ut Pilatus, Chriſtum horridum & intolerabilem concionatorem cruci affigit, eiq; inſcribit iſtud eulogion, hic ſe fecit regem Iudæorum, id eſt, ſeditioſus, inquietus, turbulentus homo fuit, ideo iuſtè ſuſpenſus eſt. Sic Leones, ut eſt in Apologo, lepores concionantes immaniter diſcerpunt, aut truculenter fugant.

Reperiuntur quoq; non pauci, inter miniſtros diuini uerbi, Eceboli ac Gnathones, qui peccata potentum, contra ipſorum dicta factaq;, mira fraudulētia excuſare atq; ornare, carbonesq; ignitos ſupponere, non uerentur, ut magis accenſi politici, in doctores ſynceros ardentius ſæuiant. Amaſias ſa-

cerdos

cerdos accuſat Amos Prophetam, ob repræhenſionem peccatorum, ac iubet eum iſto loco excedere: Sic hodie multi doctores multis in locis, ab Amaſijs impatientibus admonitionum, de ſuis aut aliorum peccatis, contra primam & ſecundam Decalogi tabulam factarum, produntur & exturbantur. Exempla non opus eſt ex longinquo petere.

Sed abrumpo triſtiſsimas querelas, de malis Eccleſiæ Chriſti. Nam ex hiſce etiam alia, quibus Eccleſia Chriſti horribiliter excruciatur, ac reuera ut eſt in Prophetis, parturientium dolores ſuſtinet, facilè mente concipi & conſiderari queunt.

Quæ igitur hactenus de Eccleſiaſticis malis in medium adducta ſunt, ſimul ad Politica, Oeconomica & communia ſeſe extendunt. Verùm, ut inſtitutum ordinem ſequamur, de hiſce etiā pauca quædam attingenda ſunt, quæ ut pietatis ueræ ſtudioſi patienter audiant atq; expendant, rogo.

Sunt quidem politiæ, quibus homines cohabitant, & à ſuis Dominis, iuxta certas Leges gubernantur, omni laude digniſsimæ. Nam Deus eiuſmodi hominum ſocietatem ſanciuit, & uoluit politias eſſe hoſpitia ſuæ Eccleſiæ, ſed quomodo ex Diaboli malitia, & imbecillitate humanæ naturæ iſte ſacer hominum ordo turbetur ac deformetur, notius eſt ex omnium ætatum hiſtorijs, quàm ut lon

ga probatione indigeat.

Et cùm ipſe Dominus *noſter Ieſus Chriſtus uaticinetur, Satanam in ipſum agrum* Domini *zizania, noctu diſſeminaturum eſſe, nemini uideatur mirum, ſi etiam in eo cœtu, ubi* Eccleſia *Dei exiſtit, mala quædam pullulare, atque ſubinde aliquid damni dare aſſeruerimus.* Atq; *adeò hanc ipſam ob cauſam, mala perſtringuntur, ut & cognoſcantur & emendentur, non ut unguem in ulcere inſultatoriè, quod dici ſolet, habeamus, aut peccatis noſtris gloriemur.*

Primum autem politicum malum eſt, Gubernatorum diſſociatio, & non firma animorum inter ipſos conglutinatio, qualis quidem tum propter Eccleſiaſtica, *tum etiam propter politica negocia, eſſet neceſſaria.* Nam *iſta animorum diſiunctio in cauſa eſt, cur intermittantur uel impediantur multa, in ſacris & profanis rebus, quæ ad ſalutem uniuerſæ* Germaniæ *pertinere uidentur. Eſt tamen inſigne* Dei *beneficium & miraculum, quòd ſedatis illis horrendis turbationibus, quæ ante paucos annos toti* Germaniæ, *extremam quaſi cladem intentabant, qualemcunque tamen pacem ſuſtentat, ut uerè cum* Propheta *dicere queamus,* Miſericordiæ Domini, *quòd non conſumpti ſumus.*

Secundum malum eſt, quòd nonnulli politici gu=

gubernatores ipſi patiuntur ſeſe tantopere inuolui negocijs mundanis, ut parùm diligenter legant Biblia, & ſcripta de capitibus doctrinæ Chriſtianæ, neq; leges Cæſareas, hoc eſt, fundamenta iuris, inſpiciant & cognoſcant. Ex hoc fonte ſcaturiunt iſta damna, ut poſtea in negocijs Eccleſiæ & politiæ, merè paßiuè ſeſe habeant, & tantum pendeant ex ore ſuorum conſiliariorum, qui nonnunquam plus uidentur eſſe Gubernatores, quàm illi ipſi, quos Deus ad ſceptra collocauit. Interdum à tumidis quibuſdam officialibus, aut ſimilis farinæ hominibus, non ſatis modeſtæ uoces audiuntur, quando uel ebrij, uel alioqui inflatis buccis ſuam eminentiam & potentiam prædicantes, effutiunt, ſeſe eſſe Principes regionis. Ea uerò res, non modò ſummæ ignominiæ eſt Gubernatoribus, uerumetiam detrimentoſa. Nam ipſi conſiliarij, non rarò craſſa rerum inſcitia laborant, præſertim uerò religionis. Deinde multa pro affectibus ſuisq; commodis moliuntur, quæ quidẽ à Gubernatoribus non niſi à poſteriori, hoc eſt, accepto malo, diſcuntur.

Huc pertinet, q̃ Gubernatores pleriq;, nõ curãt ſuos liberos in adoleſcẽtia plenius imbui et inſtitui, in Catecheſi & uerbo Dei, itẽ in Iuris ſcientia, ſed magis eos ad uoluptates, uenationes, equitatiões, & ad arma aſſuefaciunt. Debebant aũt Iuſtiniani illud celebre initium, nõ modò in ore, uerũ in uſu

quoque perpetuo habere, Imperatoriam Maieſtatem, non armis ſolum decoratam, ſed etiam Legibus oportet eſſe armatam. Nam gubernatio, non tantùm requirit arma, ſed uel inprimis, Legum perfectam cognitionem. Arma enim ſequi debent leges, quia pertinent ad executionem legum, hoc eſt, ad uindictam malorum, & defenſionem bonorum.

Tertium malum politicum eſt, quod Antichriſti regnum, non tantopere abhorretur, neque tantò zelo deſtruitur, ſicut Verbum Dei ſeuerè præcipit. Quemadmodum enim in Veteri Teſtamento, etiam pij quidam excelſa relinquebant, id quod ipſis occaſio ruinarum, & multorum damnorum erat, ita hodie, poſt tam illuſtrem reuelationem Antichriſti, iuxta Verbum diuinum, tamen politici aliquas Antichriſti reliquias alicubi tolerant, aliquem eius ſtatum relinquunt, aliquos eius characteres non uerētur expetere atq; recipere, Ratio uerò omnium euidentiſſima & fructuoſiſſima eſt, quia Antichriſtus eis dat regna huius mundi, Matthæi quarto, Apocaly. decimooctauo. Volunt igitur nonnulli prudentiores eſſe Chriſto, qui genicu lationem quandam detrectabat, qua potuiſſet regna huius mundi & eius gloriam adipiſci. Hinc ſunt illæ clandeſtinæ, & interdum quoq; ſatis manifeſtæ colluſiones cum Antichriſto, eiuſq; ſocijs, palliorum

palliorum, aliarumq́; ſumoſarum rerum uenatio. O Chriſtianos. Eamne ob cauſam Ieſus Chriſtus, iſtum ſuum hoſtem, uoracemq́; Arctolycum manifeſtauit, ut nos cum ipſo propter regna & uoluptates huius mundi fornicaremur? Quid in nouißimo iudicio Chriſtus dicet, qui tanta ſeueritate iußit illud mancipium Satanæ, & Filium perditionis, uitari? Nam nullis politicis aut Iuridicis gloſſulis, Chriſtus patietur ſuos oculos præſtringi aut hebetari.

Quartum malum eſt, quòd ſine diſcrimine recipiuntur Miniſtri, docti uel indocti, non habita ratione pietatis ueræ ac ſinceræ. Nam conſiliarij potißimum, adferentes uel inſcitiam religionis, uel prauas ſententias, poſtea ipſos quoque Dominos, ſuis contagijs deprauant, & Eccleſiæ Dei non ſunt ſalutares.

Quintum malum, ex prioribus emanans eſt, quòd à politicis quibuſdam, ſiue Dominis ſiue ſeruis ipſorum, cothurni religionum conſuuntur, partim ex mundana ſapientia, & partim ex corrupta Theologia, quos ſpecie quadam mundanorum commodorum, pro ſua ſtupenda ſapientia (ferè exciderat ſtulta) ſua autoritate, & uibratione micantis gladij obtrudunt, dictitantes, ſeſe non uelle ullas diſputationes de ijs admittere, auerſari ſeſe omnes rixas, obedientiam ſimplicem & pacificam ſeſe poſtulare, eaſq́; ob cauſas, omnibus contra hiſcenti-

bus, tanquam ſeditioſis, & ſuis à Deo præpoſitis Magiſtratibus, immorigeris, eſſe parata uincula aut exilia.

Hiſce religionum ſpectris, Vigiles Dei territi, aut obmuteſcunt, aut remouentur cum famoſis titulis, quòd eiuſmodi cothurnos repræhendentes quantumuis modeſtè, & quantumuis luculento Verbo Dei, ſint turbatores communis pacis, Magiſtratuum contemptores, Monetarij, Rotmanni, omnibus Scythis & Turcis pernicioſiores. Sic olim Nebucadnezar, ſuum illum Gigantem uolebat adorari, prope in conſpectu extructa & accenſa fornace, in quam omnes contumaces præcipitarentur. Verùm ipſe poſtea, manum Dei contra ſe experitur: Nam in rabiem actus, & integrum ſeptennium inter feras ſylueſtres circumerrans, graminaq; ut beſtiæ carpens, etiam de iſto facinore pœnas luit. Is uerò Deus adhuc in uiuis eſt, qui ſimiles gubernatorum machinationes, potenter poteſt ulciſci, præſertim cùm ſit zeloſus, & ſuum honorem, ad quem religio quoque pertinet, non patiatur ſibi eripi.

Verùm euentus ſæpe oſtendit, non tam à Dominis ipſis, quàm à ſeruis ipſorum, iſta ſpectra religionum eſſe conflata. Nam hæc ætas eiuſmodi fert homines non paucos, qui licet parum de religione intelligant, tamen ſine omni pauore, Oſiæ exemplo neglecto,

ñeglecto, in ſanctum ſanctorum irrumpant, atque extra & contra ſuas uocationes, ſuggeſtum ipſum pro arbitrio præſumant regere, ac præſcribere, quid, quomodo, quatenus docendum ſit.

Quando miſeri concionatores, iniquitatem quorundam iudiciorum uel actionum politicarum, pro officio uel modeſtiſsimè taxant, bone Deus, quantus ibi clamor exoritur, falcem nimirum alienæ meſſi temerè immitti, alterum pedem in curiam tranſponi, confundi uocationes diuinitus ſeparatas. Verùm quod ipſi rerum ſacrarum imperiti, pollutis quaſi ocreis & calcaribus in Eccleſiaſticas functiones inſiliunt, & Deo ipſi frena iniiciunt, id ſcilicet ſibi laudi uolunt duci, ac ſi poſſet fieri, in inſignia ſua, quod prouerbio dicitur, inſcribi. Ipſi uerò Domini eiuſmodi impudentiſsimis ſeruis ſeducti & faſcinati, hoc eſt, ſuorum ſeruorum peccata promouentes, graues pœnas & calamitates incidunt, quibus cum ſeſe ſerui, aſtutè & facili arte explicent, ipſi Domini ueluti in imis gurgitibus rotantur & opprimuntur. Nam Deus eiuſmodi impiarum machinationum ultor exiſtit; eſt enim infelix omnis θεομαχία.

Sextum Politicum malum eſt, Rapina & abuſus bonorum Eccleſiaſticorum, Nam ſacra bona, prouentus, reditus, quæ ad alendum miniſtros

uerbi Dei, ad ſcholas ſuperiores & inferiores rectè conſtituendas, ad hoſpitalia & pauperes nutriendos, referri debebant, ea multi politici nimis rapaciter contrectant, imò per fas nefasq́; ſuæ profanæ poſſeßioni ſubijciunt, neq; Chriſto famelico & nudo, inde præbentur neceſſaria. Sicut igitur olim, præpoſtero quodam religionis zelo, omnes nimis profuſè conferebant, ad res ſacras & pauperum ornandas & lucupletandas, ita nunc in diſpoliandis bonis, Eccleſiæ & pauperibus debitis, nimis licenter & feruidè certatur. Verùm quo fructu? Nullo propemodum. Dum enim Deo rapitur, quod ſuum eſt, rapit uicißim Deus, quod ſuum eſt, nempe benedictionem. Quod igitur mirabile dictu eſt, rapitur cum copia bonorum Eccleſiaſticorum ſumma inopia. Rectè igitur iſta ſacra præda, appellatur aurum Toloſanum, & pennæ aquilinæ, quæ non augent, ſed perdunt res ſimiles ſibi adiunctas.

Septimum malum eſt, Iudiciorum perplexitas, & nimis longa, per ambages cauſidicorum extractio, quæ captioſa, periculoſa & damnoſa eſt ſubditis, præſertim pauperioribus. Hoc malum omnes quidem politici deplorant, ſed nihilominus ipſo uſu relinquitur.

Octaua peſtis multis in locis ſæuit, Luxuria, quæ iam omnes uerecundiæ fines perrupit atque exceßit. Nam ea tanta eſt, ut penè uideatur omnes

ſtatus

ſtatus confundere. Impunè enim ea creſcit inter ſummos, mediocres & infimos. Ex luxuria autem enaſcitur paupertas, quæ ad multa mala homines impellit, utpote ad exactiones, rapinas, & alia peccata.

Nonum politicum malum eſt, *Tolerantia uſurarum, quæ exhauriunt* Reſpub. *& ipſos* Gubernatores, *ut aliqui nomine ſint magni & potentes* Domini, Re *autem ipſa, obærata quaſi mancipia ſuorum ſeruorum, unde meliori iure ſeſe poſſent hoc titulo inſcribere, quàm* Pontifex Romanus, *ſe eſſe ſeruorum ſeruos.*

Imò ne quid ad eam luem euacuantem domos, Reſpublicas, *aulas, deſit, etiam* Iudæi, *hoſtes* Dei *& omnium hominum, tolerãtur cum graui ipſius* Dei *maledictione.*

In Oeconomiam *autem iſta quoque mala penetrant. Inprimis uerò auaritia, id eſt, ſitis rerum inexplebilis. Nam rectè dictũ eſt,* Auaro tam deeſſe quod habeat, quàm quod non habeat. *Eſtq́; plaga poſtrema ſenectæ huius mundi procul dubio, quòd nemo ferè amplius mediocritate contentus eſt, ſed omnes inhiant opibus, quantaſcunque eas quidem nanciſci queunt. In uarias igitur cogitationes & peccata, coniijciuntur eiuſmodi homines, id quod experientia teſtatur.*

Ex hoc malo, naſcitur fœdus ille luxus in ueſti-

mentis,

*mētū,alijsq́; ſumptuoſis rebus, qui modum nullum obſeruat.*Et *hæc filia auaritiæ,matrem quoq́; ſuam inſaniorem & ardentiorem, in aucupijs pecuniarum efficit.*Præclarè *etiam* Cicero *dixit, Auaritiam ſi tollere uultis, mater eius tollenda eſt luxuries.*Matrem *dixit eo reſpectu, quia luxuries irritat auaritiam.*

Hinc illud quoque mali prodit, quòd parentes rebus mundanis ultra modum dediti, liberos ad illas opum uenationes adſueſaciant, & rarò aliquos ad ſtudia literarum, præſertim uerò ad ſacroſanctam Thologiam *diſcendam & propagandam, adhibeant,quæ quidem res,*Eccleſiæ Dei *non poſtremam cladem portendit.*

Communia denique mala, non neceſſe eſt prolixa oratione tractare. Nam *illa omnia publica ſunt,& omnes ferè,aliqua in parte attingunt,quæ huc uſq́; commemorauimus.* Pauca *igitur tantum quaſi delibabo,ut nos ipſos ex hac moleſta querela tandem euoluamus.*

Creſcit atq; uires quotidie magis magisq́; acquirit, ſaturitas & nauſea quædam Mannæ *cœleſtis,hoc eſt,uerbi diuini* Non *enim tanti amplius à pleriſq́; fit ſalutare uerbum*Dei,*quanti initiò,cùm illud cœleſte iubar, ex immenſis tenebris* Papiſticis *exoriretur, & articulos ſummos de* Deo, *de pœnitentia, de remiſſione peccatorum*

& cultibus diuinis illuſtraret.

Hanc nauſeam comitatur ſecuritas & impœnitentia. Nemo enim tam eſt propemodum abiectus, qui repræhenſiones peccatorum quantumuis neceſſarias, pro uocatione & iuxta uerbũ Dei factas, patienti animo tolerare uelit. Summi & infimi uociferantur, nullo modo tantam licentiam & importunitatem, docentium in Eccleſia ferendam eſſe, ut tam acriter in facta hominum inuehantur, præſertim cum ea uel ſint iam uulgaria, uel alioqui eleganti aliquo fuco exornari poßint.

Hinc ſunt illæ Leges, ne Miniſtri Verbi Dei, in ſpecie peccata graſſantia, & ipſos quoque peccatores quamlibet manifeſtos & ſcandaloſos, potentia Verbi diuini repræhendant, Sed IN GENERE *id expediant, ita ut nemo animaduertat ſeſe percelli, ſeſe ad maturam & ſeriam pœnitentiam diuinitus uocari. Hoc ſcilicet pacto uolunt os Dei, quod per Miniſtros uoluntatem eius tum propiciam tum ſeueram exponit, compeſcere, ſuoque creatori præſcribere, quantum ſibi loqui, & quantum tacere debeat. Et quod inprimis conſideratione dignum eſt, hac ratione forti illi domum ſuam muniunt firmo præſidio, ut in pace corda ipſorum poßideat, neque admittatur Spiritus ſanctus, qui corda contrita & trementia Verbum* D E I *efficiat. Hæc*

damna,

damna, filij huius ſeculi pro ſua ſtulta ſapientia malunt experiri, quàm in præſentia cognoſcere & effugere.

Ex hiſce lacunis, naſcitur pruritus ille atque appetitus libidinoſißimus & omnium peſtilentißimus, quòd homines Mannam cœleſtem nauſeantes, carnes contra Dei uoluntatem deſiderant, & ad ollas Aegyptiacas rurſum anhelant, hoc eſt, noua dogmata, quibus Antichriſti ſtatus pingitur, cupidè arripiant, pingant, promoueant, uel ſaltem non abhorreant, non impugnent, non deteſtentur eo zelo, quo membra Chriſti, uera luce Euangelij perfuſa, decebat. Non igitur eſt numerus, neque finis claudicantium & inclinantium denuo ad Antichriſti præſtigias. Verùm ea eſt hominum amentia, ut uidentes uidere nolint, neque admittant ſalutares admonitiones amplius. Imò turbationes Eccleſiæ Dei, non imputant autoribus & defenſoribus falſorum dogmatum, ſed ijs, qui ea iuxta ſolidißima & illuſtrißima teſtimonia ſacroſanctæ ſcripturæ, taxant atq; refellunt. Sic ſcilicet agnus lupo turbauit aquam, cauſamq́; , cur eam perſequatur & laceret, ſpecioſißimam nactus eſt.

Ebrietates uerò, tam ſunt frequentes, ut nemo patiatur ſibi perſuaderi, eas excutere fidem & gratiam Dei, dignaſq́ue æterno igne eſſe. Quam quidem ob cauſam, non eſt pudor, gloriari quoque

que de fœdis ebrietatibus.

Iuuentus ſubinde fit deterior, intractabilior, eaqúe uitia audet perpetrare, quibus olim adulti uix erant obnoxij. Reſonãt triſtes querelæ paßim, de iuuentutis petulantia & malitia, quæ incorrigibilis planè uideatur.

Pœnæ igitur diuinæ paßim inſtant, ingruunt, irruunt, & tanta eſt multorum incogitantia & duritia, ut non attendant, imò altam quaſi & perpetuam pacem & felicitatem ſomnient, ut penè Deus uideatur fruſtra tot mala immittere.

Tot iam miracula, tot monſtra & portenta, in uniuerſo penè mundo oculis hominum obijciuntur, ut nullis unquam mundi temporibus, talia ſint conſpecta uel audita. Sed quotuſquiſque eas Dei commonefactiones expendit?

Omnium itaque ſanorum, nedum piorum iudicio, maxima maximarum rerum immutatio, toti mũdo imminet. Faxit Deus, ut Eccleſia ipſius in acerbißimis doloribus quotidie parturiens, feliciter enitatur & eluctetur. Namq;

In mundo ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis.

Ipſe igitur Ieſus Chriſtus, uictor mũdi, ſolus æternã uereq; beatam uitam nobis, iuxta ſuam promißionem & meritum, benignißimè adferat, creaturaſque omnes gementes & laborantes, liberet ac uindicet.

Sed obſtrepunt filij huius mundi, ingenti ſapien-tia prægnantes : Tegenda *potius eiuſmodi uitia & grandia mala eſſe, quàm exagitanda.* Nam e-*am rem, ad infamiam & probrum* Eccleſiæ Dei, & Verbi *ipſius redundare.* Aduerſarios *enim clama-turos:*Ecce *eiuſmodi tetros fructus* Euangelij *uox, qua iſti gloriantur profert. Sponte enim ſua, de ſu is tetris malis queruntur?*Reſpondeo. *Nequaquam ſunt ipſa peccata, tribuenda ueritati à* Deo *patefa ctæ.*Deinde *ἐπιχαιρεκακίαν diaboli & membro rum eius, neque* Apoſtoli, *neque Chriſtus, neque Prophetæ, cauere penitus unquàm potuerunt.* Ter*tiò,* Deus *uult* Eccleſiæ *ſuæ* Doctores, *de peccatis & damnis inualeſcentibus, exaltare uoces ſuas ue luti tubas, & non ceſſare, ut in Propheta ſcriptum extat.* Q*uartò, iſta monentur, ut uera pœniten-tia, eiuſmodi peccata uerè tegantur, hoc eſt, corri-gantur.* Non *enim zizania alimus aut defendimus, ſed agrum* Domini, *iuxta ipſius* Verbum *repurga-re, quantum quidem in hac uita poßibile eſt, ſtude mus.* Præterea*, non tamen uniuerſus ager* Domi-*ni iſtis zizanijs obſitus atque oppreſſus eſt.* Sed *beneficio* Dei *ſcimus et credimus, copioſam nihilo-minus eſſe meſſem* Domini *in ipſa* Germania, *ubi uox* Euangelij *à* Papiſticis *inquinamentis repur-gata, purè ſonat, & Sacramenta Chriſti legitimo & ſalutari uſu uigent.* Nihil *igitur moramur* Dia

boli-

bolicas Antichriſtiani gregis inſultationes. Nam illi non ſunt ager Domini, ſed campus ſylueſtris, horridus, arenoſus, ſentibus, tribulis, urticis, filicibus, totus obductus & perditus.

Cæterùm, unde medicina tantorum morborum, præſertim uerò Eccleſiaſticorum *nobis proueniet? In promptu quidem ea eſſet, ſi non uel faſtus, uel nauſea, hoc eſt, pertinacia & impœnitentia eam excuterent. Succurri igitur poſſet laboranti* Eccleſiæ *Chriſti hiſce medijs.*

Primùm, *ſeria pœnitentia coram* Deo, *nempe humili agnitione erratorum ac lapſuum, precatione ueniæ per Chriſtũ, & propoſito rectè faciendi.*

Deinde, *Synodo coacta ex omnibus Germaniæ* Eccleſijs, *& cognitione atque diremptione controuerſiarum plana & dilucida, iuxta expreſſum* Dei Verbum, *citra ullam ullorum hominum proſopolepſian.*

Tertiò, *alacri & communi refutatione contra dicentium* Verbo Dei, *quicunque tandem illi ſunt, qui quidem publicè errores, in gloriæ* Dei *obſcurationem, & perniciem* Eccleſiæ *diſſeminant.*

Quartò *diſciplinæ prudenti & utili inſtitutione, atq; obſeruatione.*

Quintò, *ut quiſque intra fines ſuæ uocationis ſeſe contineat,* Eccleſiam *communem foueat atque adiuuet, non diſsipet.*

Sextò, ut Politici & Oeconomici ſuas etiam partes in corrigendis omnibus peccatis & abuſibus exequantur.

Cùm autem eiuſmodi Synodi aut piæ reformationes Eccleſiaſticæ uel Politicæ in hac mundi ruina, & hominum furoribus uix ſperandæ ſint, præcepto Dei in tradenda intemerata doctrina, & refutatione ſtrenua corruptelarum multiplicium, fideliter obtemperandum eſt, & preces ardentes iterandæ ſunt, donec ipſe Ieſus Chriſtus in nubibus apparens, ſuam Eccleſiam ab omnibus calumnijs, damnis & malis, in uniuerſum uindicaturus eſt.

Te igitur Ieſu Chriſte, regnantem ad dexteram æterni Patris, omneſque iſtas peſtes Eccleſiæ tuæ perſpicaciſsimis oculis cernentem, ſupplicibus pectoribus oramus, ne patiaris lucem Verbi tui, in hiſce tantis turbinibus, penitus extingui. Coherce furorem quorundã, qui falſos doctores cum ſuis erratis tuentur, & affligunt ſynceram doctrinam profitentes. Conuerte temerarios errorum patronos. Compeſce maledicam & mentientem linguam. Conſolare & ſuſtenta eos, qui propter nominis tui ſanctiſsimi profeſsionem, plurimorum morſus experiuntur: Miſerere miſerrimæ iuuentutis, quæ iam in multis locis, errorum fertiliſsima ſemina imbibit. Collige, conſerua, ſanctifica Eccleſiam tuam, ne deficiant ſancti in terris.

Veniſti